



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

De Theologicis Disciplinis Liber Septimus In quo adversus hæreticos pro  
fide individuæ Trinitatis pugnatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)





# DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER SEPTIMUS

*In quo adversus hæreticos pro fide individue Trinitatis  
pugnatur.*



**D**E ELECTORUM ac Reproborum sorte, quæ videbantur necessaria, fuerunt postremo præcedentis Voluminis libro absoluta. Sequitur, ut de altissimo Trinitatis mysterio, quod Catholica Fidei fundamentum est, dicere instituamus. Ut vero in rerum amplitudine ac varietate, missis iis, quæ absque delectu disceptari consueverunt, & harum loco collocatis utilioribus, aliqua à nobis methodus teneatur, in qua suum quæque locum servare valeant; tres libros de hoc uno argumento duximus conscribendos. Erit primus Polemicus, eoque adversus Judæos, Samosatēnianos, Fratres Polonos, Arianos, Græcosque à Romanæ Ecclesiæ communione sejunctos, divinarum Personarum pluralitatem, divinitatem Filii ac Spiritus Sancti, necnon hujus à Patre, Filioque originem vindicabimus. Alter erit Apologeticus; atque in eo Antenicænorum Patrum doctrina, ac Liberii Papæ, aliorumque fides, ad rectam crisin dilucide revocabitur. In postremo, qui Scholasticus erit, quæstiones cæteras, quæ aut ad humanæ rationis normam exiguntur, aut in utramque partem, salva fide, agitantur, erunt breviter resolvendæ.

*R. P. Berti Theol. Tom. II.*

Atque ita fiet, ut neque à Scholarum recedamus consuetudine; neque validiores hæreticorum impetus declinemus.

Hæresim ergo principio refutandam aggredimur, longe lateque serpentem; nam præter Judæos à divinitate Personas eliminarunt innumeri propemodum Heterodoxi. In unius Personæ angustias Trinitatem coarctare Montanistas, genus perditissimorum hominum secundo Ecclesiæ sæculo exortum, scribit in Epistola ad Marcellam Hieronymus. Proximo sæculo Noetus, deinde Sabelius blasphemarunt eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & in veteri Testamento dedisse legem, in novo in hominum similitudine, & in linguis igneis apparuisse; quod de se ipso pridem dixerat Simon Magus, auctoribus Irenæo, & Augustino. Marcellus quoque ac Photinus, post Paulum Samosatēnum, Deum singularem ac solitariam personam dixerunt, ac Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nomine solo distinctos. His quarto vertente sæculo adhæsit Priscillianus Episcopus Abulensis, ut affirmant Her. lxx. Augustinus, & Leo Magnus Epistola tertia & nonagesima. At Theodorus Mopsuestenus & Nestorius, ut habetur in Oecumenica v. Synodo quaternitatem pro Trinitate dogmatizarunt: ob quam execrandam horrendissimamque blasphemiam Anastasius Imperator anno

A 2

518.



518. fulmine ictus interit. Mahomet etiam Pseudopropheta Saracenorum, qui eo appellantur nomine à *Saraca* Arabum civitate, septimo Christiani nominis sæculo, solum binarium numerum in divinitate constituit, ipsam scilicet Divinam essentiam, ejusque Animam. Subsecutus est circa annum 1531. omnium hominum impudentissimus Michael Servetus, qui præexcelsam Trinitatis mysterium *Tricipitem Cerberum*, ejusque Cultores *Tritheitas* dicere non erubuit, combustus postea Genevæ urgente Calvino, & impio diaboli ministro, impiissimum condemnante. Subscribere Serveto Valentinus Gentilis, Bernardinus Ochinus, Lambertus Danaus, alique dicti à recessu Transilvani, Franciscus David Polonus, Nathanael Elianus, Christianus Francus Cra-

coviensis, Theodosius Schimbergius, & alii innumeri. Adde Socinianos recentiores Crellium, Wolzogenium, aliosque Polonos: qui à Latio & Faustis Senensibus civibus sectæ nomen acceperunt; nam hi patria pietatis ac sapientiæ Emporio deserta, in Poloniam ac Transilvaniam sese recipientes unum cum his, quos memoravi, hæresim inter rudiores efferosque populos propagarunt. Atque his connumerandi sunt hæretici, qui Divinam substantiam dividere ausi sunt, ut Manichæi, quos refutavimus priori libro, & Ariani, atque Macedoniani inferius exagitandi. Consilium namque est, primum Trinitatem divinarum Personarum, deinde singularum divinitatem adversus Impugnatores comprobare: quod Divino implorato Numine facere instituimus.

## CAPUT I.

Trinitatem divinarum Personarum ex veteri testamento adversus Judæos, hæreticosque probari.

### SUMMARIUM.

1. Usque ad 6. Inclusive dari trinitatem divinarum personarum Probat ex versu primo geneleos.
7. 8. & seqq. usque ad 15. Exclusive occurrit impugnationibus.
15. Idem ostenditur ex versu 26. cap. 1. Geneleos.

16. 17. 18. usque ad 24. Respondetur objectionibus.
24. 25. & 26. Idem evincitur ex cap. XIX. Gen. v. 24.
27. 28. 29. & 30. Solvuntur objectiones.
31. Idem eruitur ex pluribus aliis locis veteris testamenti.
32. 33. Solvitur argumentum.

Cur Hebraico populo Trinitatis mysterium absconditum.

QUAMQUAM Deus Hebraico populo, Trinitatis arcanum principio apertissime revelare, opportunum minime existimavit; illud tamen altissima divinarum Scripturarum significatione censuit esse præcontinendum: ut fideles, qui Christo nomen dedissent, si novitatis suorum dogmatum arguerentur, Judæorum eluderent cavillationes. Hebræis autem duplicem ob causam noluit tantum aperire mysterium; & ne in cultum idolorum proni, Deorum suspicarentur pluralitatem: atque ut gradatim, & quasi per incrementa, altissimarum rerum cognitione humana fragilitas imbueretur. Harum causarum primam affert in Orat. de Moyse Basilii Seleye. & Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. Ep. 143. alteram magnus Augustinus in Quæst. vet. Testam. cap. 86. Hinc paulatim Sacrosancta Trinitas nobis innotuit: & in libris Moyse unitas divinitatis specialiter prædicata est; in Prophetis Dei Verbum annuntiatum, & Personarum binarius diligentius commendatus: Trinitas denique in nova

lege evidentissime demonstrata. At quoniam superno accedente lumine, & Christi divinissimo Magisterio plura apparent in sacris Libris, quæ olim sub cortice literarum latebant; observarunt Patres ac Theologi, in veteri quoque Testamento Trinitatis deprehendi vestigia: quæ data opera hoc loco erunt producenda.

#### Momentum 1. Ex versu primo Geneleos:

In principio creavit Deus *calum & terram*, qui Hebraice legitur **אלהים השמים ואת הארץ:**  
**ברשית כרא**

Hoc primum momentum, quod innotuit vocabulo *Elohim*, **אלהים** pluralis terminationis, conjuncto cum verbo *creavit* **ברא** numeri singularis, in gratiam Scholasticorum, qui eo usi sunt, nisi invictissimum, probabile quidem adversus morosos criticos arbitramur. Advertendum est autem, nos nequaquam

Probat 1. ex vocabulo hebraico Elohim.



quam asserere, nomen **אלהים** significare Personas, ut quidam falso dixerunt; nam cum designet supremum Dominum dignum adoratione, ut diximus lib. II. cap. I. revera divinitatem significat, vel aliquid Deo, tanquam uni, tribuendum. Neque asserimus notari eo nomine triplicem gradum divinitatis, quod Arianum esset, atque Macedonianum; neque esse admittendos tres **Elohim**, ut ludic in dissertatione de hoc nomine Zanchius Socinianus: sed affirmamus, in plurali illius nominis terminatione latere mysterium, neque phrasim esse Hebraicam, uti contendunt complures, pluralis numeri nomen cum verbo struere numeri singularis.

2. **Ultior ratiocinatio.** Ergo ita ex eo textu ratiocinamur. Cum Trinitatis opera *ad extra* inseparabilia sint, & producantur per omnipotentiam, quæ una cum substantia in tribus Personis esteadem, ad hanc significandam unitatem, sapientissimus legislator Moyses unius numeri verbum apposuit, id est **ברא**, *Creavit*. Cum vero in eadem essentia tres subsistant hypostases, pluralis numeri vocabulum usurpavit **אלהים** *Elohim*, cum in promptu esset singulare **אלה** *Eloha* aut tetragrammaton **יהוה**, aut quodpiam aliud ex recensitis II. lib. cap. I. Non enim id exigit, ut plures putant, Hebraicæ linguæ syntaxis, neque Hebræi plurali numero utuntur honoris causa. Innuitur ergo eo loco divinarum pluralitas Personarum.

3. **Confirm. 1.** Quod id non exigit Hebraica phrasim, ostenditur. Nam etiam in sacris libris sæpe plurale nomen cum verbo nestitur singulari, ut observavit quoque Hieronymus: non est phrasim, quam postulet linguæ proprietates, sed in qua aliquid latet significationis. Etenim in Berescith Ketana legitur: *Nisi hic sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere, Creavit Elohim*. Habet consimilia Rab. Moyses Hadar, & alii apud Galatinum lib. 2. cap. IX. Ex Hebræorum ergo antiquiorum confessione, non phrasim natura est, sed occultæ significationis arcanum, terminatio ista pluralis. Deinde etiam id eveniret alicubi, ut apud Hebræos non semper nomina & verba, casus similitudine copularentur; ea tamen est divinarum literarum œconomia, ut ubicunque plurali numero de Deo nomen **אלהים** usurpatur, ne Pagani possint Judæis opponere, in horum quoque libris multitudinem contineri Deorum, & ne ipsi Judæi idololatriæ sumant

inde occasionem, è vestigio remedium apponitur, ut advertit Rab. Joannan. Sic ubi in Genesi legitur, *Faciamus hominem*, ne possint Polythei plures Deos suspicari, subditur: *Et creavit Deus hominem*. Genesi XI. dicitur: *Descendamus & confundamus linguam eorum*; & post hæc: *Descendit Dominus*. Cap. XXXV. scriptum est, *Apparuerunt Dii*, & statim: *Fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi*. Jerem. XXI. I. *Pervertisti verba Deorum viventium*, & protinus: *Verba Domini exercituum*. Ergo propter hanc eandem Oeconomiam, & non ex hebraica phrasim, ne ex numero plurali Elohim inferri possit multitudo Deorum, verbum additum est singulare. Postremo quod præfatum nomen aliquem numerum ratione terminationis insinuet, arguitur etiam, cum verbis pluralis numeri connectatur, ut 2. Regum cap. VII. *Iverunt Dii*, Genesi XXXV. *apparuerunt Dii*, & XXV. *Abduxerunt me Dii*, aliisque in locis, ubi nostra Vulgata habet Dei nomen singulari numero expressum.

4. **Confirm. 2.** Neque Hebræi juxta familiarem Europæorum consuetudinem causa honoris nomen pluraliter efferunt. Nunquam enim legimus è plebe infimos primoribus salutem dicere, **עמכם אלהים** *Vobiscum Dominus*, sed ajunt semper, **יהי עמך** *Nec mulier Tekoitis* I. Regum cap. XIV. ita Regem allocuta est **השעיה המלך** *Servate me,*

*o Rex*: sed **השעיה** *serva*, inquit: idque constat ex toto Bibliorum Sacrorum volumine etiam ubi sumus Deus vel imperans, vel jubens ad homines loquitur.

5. **Confirm. 3.** Præter vocabulum Elohim, addo priorem vocem, **ברשית** *In principio*: quam nonnulli antiquiores legerunt, *In Filio*: ut Auctor libri, qui inscribitur, *Altercatio Jasonis, & Papisci*, quem scriptum nonnulli dixerunt à Jasone Thessalonicensi, cujus meminit Paulus in Epist. ad Romanos cap. I6. Hunc autem librum summo opere commendat in IV. adversus Celsum Origenes. Ita legit quoque Tertullianus cap. contra Hermogenem XX. neque videtur dissentire Chaldaicus Paraphrastes, qui vertit: *In sapientia sua*. Hieronymus tamen principio Quæstionum in Genesi videtur hanc lectionem rejicere: quod revera hebraicum **ברשית** significet *In Principio*. Verum quod affirmat Hieronymus de Grammaticali literarum sensu, possumus rectissime accipere de Theologico. Scribit enim S. P. Augustinus



stinus in Q. ad Dulcitium VIII. *Trinitas insinuat Creatoris, dicente Scriptura: In principio fecit Deus calum & terram.* Et causam afferens, ait: *Intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principii nomine: qui non Patris, sed per seipsum creata primitus, ac potissimum spiritualis creatura, & consequenter etiam universa creatura principium est.* Quare non est prorsus rejicienda lectio illa Iasonis: *In filio creavit Deus calum & terram.*

6.  
Observatio  
Pici.

Ingeniosa est observatio Pici Mirandulani, qui in fine Heptapli Cabbala præfatam lectionem nititur comprobare. Facta enim literarum partitione, priores tres ברא significant, *Creavit: אב Patrem: בן filium, sola ב, in: unde habes, Creavit Pater in Filio.* Alii Patrem innuunt in litera א, Filium in ב, ac Spiritum Sanctum in ג, quæ sunt prima elementa nominum אב, בן, רוח. At hæc solos Judæos urgent, qui hanc interpretandi rationem plus æquo sectantur.

#### PELLUNTUR CRITICORUM, ET GRAMMATICORUM OBJECTA.

7.  
Objectio I.

Opp. 1. Ex primo Geneſeos verſu probari pluralitatem divinarum personarum, negant viri in hebraica lingua doctissimi, idque probat Bellarminus lib. 2. de Christo cap. VII. exemplis clarissimis, quibus ex hebraica linguæ proprietate pluralis numerus pro singulari adhibetur. Etenim Genes. xxiv. 9. ubi legimus: *Posuit manum suam super femur Abraham Domini sui,* habet hebraicus codex plurale nomen ארונים, *Dominorum suorum.* Item Exodi xx. 3. ubi vulgata nostra legit: *Non habebis Deos alienos:* habent Hebræi אלהים אחרים לא יחיה לך.

*Non erint tibi Dii alieni.* Rursus falsum est nomen Elobim tantum cum singulari verbo conjungi, nam 2. Regum cap. VII. ut diximus, habetur: הלכו. *Ioverunt Dii:* quibus similia plura alibi reperiuntur. Præterea nullus hæcenus ea verba: ברא אלהים, vertit *Creaverunt Dii;* fecissent autem, si nomen illud pluralem significationem haberet. Denique si in vocabulo illo pluralitas personarum lateret, essent in divinis Scripturis contradictiones apertissimæ: ubi enim legimus Deum esse unum, sensus esset, Deus est unus, & non est unus. Hæc Bellarminus.

Resp. Longe plures etiam in hebraica lingua doctissimos in hoc Genes. loco mysterium animadvertere, ut Hebræi, quos memoravi inter suos antiquissimi, & ex Scholasticis Magister Sententiarum, S. Thomas, Alphonsus Vivaldus, Franciscus Arretinus, Catharinus, &c. Item nobilissimi Sacrarum Scripturarum Interpretes, Augustinus Steuchus, Lyranus, Paulus Burgensis, Joannes De la Haje, alii. Adde hæreticos homines saltem ob linguæ Sanctæ peritiam valde celebres, Ludovicum Cappellum in Diatriba de nomine Elohim, Salomonem Glasium lib. III. Gram. Can. xxv. Alstedium Calvinianum in Lex. Theolog. cap. 2. Meissnerum Phil. Sobr. p. 11. & alios, qui cum Catholicis adversus Socinianos pugnant. Nec refert Aben-Hezram in Comment. nullum in voce Elohim agnovisse mysterium, & ad hebraicam phrasim confugisse: quoniam id fecit hominis ignorantia, & divinorum arcanorum incomprehensibilis altitudo.

Itaque ad primum Bellarmini argumentum dicimus 1. *Jod* non significare semper pluralitatem, sed poni sæpè numero ad distinguendum affixum pronominis, ut in his vocibus את דבריו

והוא, quæ significant *pedem ejus, verbum ejus, non pedes, non verba:* quare in nomine ארונים litera *Jod*, cum sequatur suffixum, non est nota pluralis numeri, sed pronominis; quemadmodum aliquando est signum regiminis, ut Genes. xlii. 30. *Dominus terra, ארונהאראץ.* Quibus in locis *Jod* a Grammaticis dicitur *Redundans.* Dicimus 2. quod licet ex proprietate linguæ Sanctæ nomina appellativa, quale est *Adonai*, numero plurali pro singulari efferantur: id locum minime habet in voce aliqua primitiva, qualem esse vocabulum *Elobim*, demonstrant etiam hæretici Amama, & Glasius. Tertio reponimus in sacris Bibliis, ubi habetur sermo de Deo, etiam phræos abjici consuetudinem; & si aliqua de Deo pluraliter enunciantur, statim singulariter repeti, ne plurium Deorum exoritur suspicio. Quamobrem additur *Elobim* singulare verbum causa hujus œconomiae, non proprietate sermonis. Cap. vero Exodi xx. *Elobim* enunciat de Diis Gentium, qui cum plures sint, consulto numero efferuntur plurali: ac verbum minori numero ponitur, *Non erit*, quod plures illi Dii non sint adorandi cultu illo, atque honore, qui debe-

8.  
Solutio.

9.  
Respondetur  
argumentis  
Bellarmini.

8.  
Bellarmini  
argum.



debetur Deo unico, ac summo. Regum 2. cap. vii. tam verbo הלכו Iverunt, quam nomine אלהים Dii personarum significatur distinctio: neque explorali verbo Iverunt Deorum inferri potest pluralitas, nam subditur caute aliud verbum singulare לפך ותלו

ut redimeret sibi, ut intelligatur de uno Deo haberi sermonem. Quæ unitas etiam manifestius colligitur ex verbis sequentibus פריה לך ממצרם

מפני עמך אשר A facie populi tui,

quem redemisti tibi ex Aegypto: ubi vides, & singulare verbum, & singulare pronomen. Ad ultimum Bellarmini argumentum facilis est responsio; nam hoc nomen Deus usurpatur à Latinis ad significandam substantiam, & consequenter nullus veritit unquam Creaverunt Dii. Quæ versio esset sane perversa, dicente Hieremia cap. x. 11. de Diis Gentium: Dii cælum & terram non fecerunt.

8. Opp. 2. Bellarmini argumenta aliis innumeris firmari possunt exemplis. Etenim ea vox hebraica בעלים quæ Dominos, ac possessores significat, passim de uno idolo, de uno homine effertur. Evenit idem de nomine ארנים, quod Eisaia xix. 4. cum singulari adjectivo copulatum est, Dominorum fortis קשה ארנים. Nomen

Dei אלהים, etiam de unico idolo enunciatur pluraliter in Exodo, ubi vitulus aureus appellatur אלהי זהר, de uno Moyse, quem Deus constituit,

אלהים לפרעה Elobim Pharaonis; De uno Samuele, de quo clamavit Pythoniassa, Vidi אלהים: de una Arca foederis, quæ 1. Regum cap. 4. dicitur בא אלהים. Aqua etiam, cum una sit, vocatur מים; & in xxxvi. Ezech. ubi legimus Aquam mundam, habent Hebraei plurale, מים טהורים. His ergo exemplis constat, esse linguæ Sanctæ idiotismum, quotiescunque pluralis numerus usurpatur pro singulari.

9. Resp. nego ant. Atque ad 1. Exemplum dico: nunquam legi in Scripturis

בעלים, nisi cum de falsis Diis accipitur, qui cum plures sint, nihil mirum, si plurali legatur terminatione. In singulari habetur duntaxat, ubi additur nomen unius Idoli, ut Judicum viii. 33. & Num. xxv. 3. de Idolis Baal, & Beelphegor. Quum enunciatur de ho-

minibus, & significat rei possessores, additur ei genitivus, ibique, ut supra dictum est, Iod redundat; aut non ponitur absolute pro uno Domino singulari, sed indefinite pro omnibus, ut Eisaia cap. 1. 3. Ad alterum exemplum respondet

Cappellus קשה esse nomen substantivum, quo significatur durities: neque Hebraeis inusitatum est, substantivum pro adjectivo locare, & dicere B. G. Dominos duritiei, pro Dominos duos. Sed verior est responsio, adjectivum singulare additum plurali significare apud Hebræos distributionem singulorum. Sic. cap. præc. xvi. 8. ubi legimus, Suburbana Hesebon deserta sunt, habent

Hebraei, אכלל שרמות Arva desertum est: scilicet, quodcunque arvom. Gen. xlvii. 3. ubi nostra vulgata ait:

Pastores ovium sumus servi tui, רועה

Pastor Hebraei legunt, id est Pastor unusquisque. Itaque singulare adjectivum

קשה durus additum plurali ארנים

Domini partitionem demonstrat, prædicique, Aegyptiorum Reges singulos futuros esse crudeles. Unde recte Vulgata: Tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium. At nomen אלהים de uno dicitur vitulo, propterea quod erectus fuit in cultum plurium Deorum qui ab Aegyptiis adorabantur, atque loco Unius, Trinique Numinis substitutus. Hoc nomine nedum Moyses ac Samuel, sed Reges singuli, Iudices ac Magistratus sunt appellati, quod hi omnes referant Dei maiestatem, gerantque vicem ipsius. Arca quoque præsentia summi Dei erat symbolum singulare. Aquæ demum, cum duo illarum sint genera, superiorum, quales sunt imbres, & inferiorum, quales sunt lacustres & fluviales, מים appellantur.

Opp. 3. Manue Judicium xiii. viderat unum Angelum; & tamen v. 22. dixit ad uxorem suam, Morte moriemur quia vidimus Elobim 12. Objectio 3. cum solutione.

Resp. Angelum, qui apparuit Manue, vocari אלהים, quoniam Dei præferebat personam. Quod satis liquet; nam v. 18. ait: Cur quæris nomen meum, quod est Mirabile? Unde Manue hæc edum obtulit & libamenta Domino, qui facit mirabilia; ibid. v. 19. Aut fortasse credidit sibi Deum ipsum apparuisse; & ideo ait: Morte moriemur, quia vidimus Deum. Memor quip-



quippe erat dictum fuisse Moyſi Exod. xxxi. 11. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet.*

13.  
Obſectio 4.

Opp. 4. In Hebraica, Iſmaelitica, & Arabica lingua quælibet res eximæ, honoris cauſa plurali numero designantur. Ergo nomine plurali Elohîm, non plurium numerus Perſonarum, ſed unius Dei exprimitur altitudo. Ita ratiocinatur lib. 2. de Trinit. cap. vii. Petavius, Adde ſortum honoris cauſa ita Salomonem adlocum 3. Reg. iii. 26. *Obſecro Domine, date illi infantem, & nolite occidere eum.*

Solvitur.

Reſp. Rationem illam uſurpati pluralis numeri, quam ex Aben Hezra Petavius commemorat, ſcilicet gratia honoris ac dignitatis, ut ipſe ſatetur, viris quibusdam Eruditis, nimis dilutam inſulſamque videri. Profert duntaxat exempla duorum nominum בעלים, & ארונים, quæ ad rem non eſſe, jam diximus. Ac dato, in his tale lingue detegi idiotiſmum; non proinde accidit idem in אלהים; quum illa appellativa ſint, iſtud primitivum. Accedit œconomia Scripturarum, ubi de vero loquuntur Deo, quam ſupra inuebamus. Pluralem numerum quandoque ſignificare magnitudinem, atque excellentiam, etiam in Hebraica lingua multiplici cauſa contingit, quam expendit Glaſſius lib. iii. Tract. de Nomine Can. xxxiv. Sed fieri id in vocibus primitivis ad exprimendam dignitatem perſonæ, falſum eſt penitus. Etiamſi id fieret; non junguntur tamen ex lingue proprietate ſingularia verba nominibus pluralis numeri, niſi ob aliquam ſignificationem, ut vidimus exemplis præcedentium obſectionum. Verba ſorti ad Salomonem nullam exprimunt pluralitate numeri reverentiam, ſed ea ſimul compellant Regem, & lictorem tenentem gladium. Addo, Verbum activum plurale uſurpari in lingua Sancta pro impersonali ſingulari, & imperativum pro ſubſunctivo, ut docent Grammatici. De his Cappellus in Diatriba de tribus Elohîm. Profecto ſi plurale honoris eſſet characteriſticum, à Deo ferente legem fuiſſet adhibitum: neque citato loco Salomon dixiſſet lictori: *Date huic infantem vivum.*

14.  
Obſectio ultima.

Opp. ult. Divinæ Perſonæ, ut conſtat ex Symbolo, quod tribuitur Athanaſio, Catholice appellari nequeunt Domini, vel Dii, ſed debent dici unus Deus, unus Dominus: Atqui nomen Elohîm ſignificat Deum, vel Dominum: Ergo vel erit nomen ſingulare, vel error in Sacris Bibliis irrepreſit. Falſum eſt

igitur in 1. verſu Geneſeos nomen plurale cum verbo ſingulari conjungi. Ita arguit Cajetanus initio Comment. in Geneſim.

Reſpondet Catharinus in iv. Adnot. Ejusdem libro Cajetani ſententiam Judaicam eſſe, & à Patrum auctoritate abhorrentem. At non conveniebat Ambroſio Catharino (ut verbis utar Sixti Senenſ. lib. iv. Bibliothec. S. annot. 1.) fratrem ſuum ob tam leves cauſas in ſuſpicionem læſe Trinitatis adducere. Quare dicimus certiffimum eſſe apud Hebraicæ lingue peritos אלהים eſſe nomen pluralis numeri, cujus ſingulare eſt אלה, atque in hoc apertiſſime decipi Cajetanum. Quod autem ſcribit non conſentire Symbolo Athanaſii, ſi dicamus plures Deos aut Dominos, ſolutionem habet ex D. Thoma 1. P. Q. xxxix. art. 3. ubi ait: *Ad ſecundum dicendum, quod diverſæ lingue habent diverſum modum loquendi: unde ſicut propter pluralitatem ſuppoſitorum Græci dicunt tres hypotheſes; ita & in Hebræo dicitur pluraliter Elohîm. Nos autem non dicimus pluraliter neque Deos, neque ſubſtantias, ne pluralitas, ad ſubſtantiam referatur.* At de priori loco, quo utimur adverſus Judæos ſatis, ſuperque dictum eſt.

## Momentum II. Ex verſu 26. cap. 1. Geneſeos.

*Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* qui habetur in Hebræo: אדם בצלמנו כדמותנו

נעשה

Utitur hoc loco ad probandam Trinitatem S. Joan. Chryſoſtomus Tom. v. Argument. hom. 2. Ambroſ. lib. vi. in Hexam. tom 2. cap. 7. Theod. Quæſt. xix. in Gen. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, nec non Interpretes ac Theologi omnes. Argumentum vero quod ex præfato textu deducitur duplex eſt. Primum literale, & obviuſ: Verba illa, *Faciamus, &c.* ſunt unius Perſonæ alteram adloquentis; & quæ ſequuntur, *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* Divinæ Eſſentiæ indicant unitatem. Eſt ergo in Deo pluralitas perſonarum, & unitas eſſentiæ. Alterum argumentum petitur ex verborum illorum expoſitione: Imago Patris eſt Filius; generatio enim eſt origo viventis à vivente innaturæ ſimilitudinem: neque Filius eſſet Patris imago & ſimilitudo, niſi eandem habe-



haberet potestatem, & ei esset confubstantialis: item Spiritus Sanctus, cum sit communis dilectio & amor Patris & Filii, appellari potest similitudo utriusque. Itaque in verbo *Faciamus* intelligimus Patrem, in *Imaginem* Filium: in *Similitudine* Amorem; recteque dictum est, *Ad similitudinem nostram*, quoniam Spiritus Sanctus est Amor Patris, & Filii.

RESPONDETUR OBJECTIS.

16. **Objectio 1.** Opp. 1. Non inferitur ex his verbis *Faciamus &c.* Trinitatis arcanum, si ea protulerit unus Deus, adloquens non alteram in divinitate personam, sed Angelos, quorum ministerio praesertim in opificio hominis usus fuit. Atqui verba illa ad Angelos dirigi, nonnullis, momentis suaderi potest. Primo auctoritate Rabbiorum, inter quos numerandi sunt Aben-Ezra, & R. Moimondes Hebraeorum omnium doctissimi: deinde Philosophorum doctrina; nam Plato in Timaeo docet in productione hominis à primo Deos adhibitos esse minores. Tertio testimonio divinarum Scripturarum, quae inuunt, Deum quotiescunque magnum aliquod molitur opus, caelestium Angelorum exercitum consultare, ut lib. 3. Regum cap. xxii. 19. (dum ageretur de Achab intereptione ac deceptione) legitur, Deum super solium suum, assistentem sibi exercitum Angelorum consultasse. At ergo Deus hominem fabricaturus, *Faciamus*, quasi de tam praclaro opificio cum sua familia deliberrans.

17. **Solvitur.** Resp. Fieri nequaquam posse, ut praedicta verba dirigantur ad Angelos. Primo enim Hebraei hanc interpretationem excogitantes ne cogerentur Dei Verbum tanquam distinctam à Patre personam fateri, maluerunt cum gentibus pluralitatem adstruere Deorum, ut scribit de hac illorum expositione Basilus; Enimvero ad creationem, cum sit productio ex nihilo, infinita requiritur potentia, neque ad illam Angelus, sive creatura aliqua potest adsumi. Quare illi, qui putant cum Platonis, minores Deos ad opificium hominis advocatos, plurium Deorum videntur esse cultores: *Conticescant ergo* (inquit Amb.) *& Judaei & Ariani cum suis paribus, qui, dum unum à consortio Divinae operationis excludunt, plures inferunt, & praerogativam, quam Filio negant, servulis donant.* Atque, etiam si creatura & Angelus possent esse alterius creaturae

R. P. Berti Theol. Tom. II.

principium, constat tamen, ad hominis productionem Angelorum ministerium non accessisse. Quippe ex rationali anima, & corpore constat homo. Animam ab uno Deo fuisse creatam, constat ex cap. ii. v. 7. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae.* Similiter de corpore istic legitur: *Formavit Deus hominem de limo terrae.* Si ergo tam corpus quam anima ab uno procreata sunt, non interfuit hominum productioni Angelicum ministerium. Propterea ne opinemur plures esse hominis conditores, post verba *Faciamus &c.* sequitur in singulari, *Et creavit Deus hominem.* Ulterius hominem fuisse creatum ad Imaginem Dei, non Angelorum, ibidem Scriptura testatur. Accedit, quod neque Angelus est exemplar & idea hominis, neque una esse potest imago Dei, & Angelorum. Quod addebatur de Achab, habet cum generalem, tum particularem solutionem. Generalis est, à nobis non negari, Deum uti quandoque ministris Angelis: utitur sane, & ubicunque id affirmat Scriptura; sed Angelos conditores fuisse hominis, & Scriptura non docet, & demonstrat oppositum. Particularis vero solutio est, Factum Achab non suffragari Judaeis, qui fabulantur Angelum, qui decepit Achabum fuisse Animam Naboth, qui innocens fuerat lapidibus obrutus. At quoniam revera fuit Angelus malus de familia Satanæ, respondendum est, latissimam esse disparitatem. Dedecet enim summam Dei bonitatem, homines in mendacium inducere, ideoque fefellit Achabum per Angelum malum, idque non jubendo, sed permittendo, ut diximus lib. ii. cap. vii. Econtra cum creare sit opus Dei proprium, & ad ejus spectet omnipotentiam; non est, cur in creatione hominis Angelorum exquisierit operam ac ministerium.

18. **Objectio 2.** Opp. 2. Praetores, Tribuni, & quotquot summis funguntur magistratibus, solent sub numero plurium dicere, *Jubemus, scribimus, imperamus;* non ad personarum pluralitatem, sed ad maiestatem dignitatemque significandam: Atqui Deus reges ac principes dignitate antecellit: Usurpat ergo hac de causa illam proprietatem formamque sermonis, *Faciamus.* Ita cum Judaeis arguitur Marcellus Ancyranus apud Eusebium. Addit Socinus: Deum sese more artificum ad hominis opificium hortari, ut Annibal venenum hausturus; *Libermus*, inquit: *diuturna cura populum Romanum.*

B

Resp.



19.  
Solvitur.

Resp. nego conseq. Non enim Deus, more procerum ac magnatum in Sacris literis de se pluraliter loquitur; siquidem in singulari numero verba fecit, etiam cum legem dedit, ac semetipsum Moyse manifestavit. Negari quoque potest etiam in latina lingua, quoties aliquis in plurali loquitur, quamdam declarari dignitatem; nam, ut scribit Laurentius Valla, non quidem in Sacris disciplinis, sed certe in latina lingua plurimum exercitatus, Elegant. lib. III. cap. 110. *Quia gloriosus est, quemvis unum per se, quam cum pluribus rem claram gessisse, Principes modestia gratia, ne soli videantur omnia gerere, loquuntur fere pluraliter; ut, Nos Maximilianus Romanorum Imperator, &c.* Sed quidquid de Latinis sit; Si Deus propter auctoritatem ac maiestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui, vel semper, vel ut plurimum, praesertim cum legem daret in Sina; inquit Quaest. 20. in Gen. Theodoretus. Quod addit Socinus, olim his verbis refutavit Basilus Hom. 9. in Hexam. *Quis enim faber aut ararius, aut lignarius solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus, interque sua artis instrumenta desidens, sibi ipsi admurmurat dicens: Faciamus gladium, aut compingamus aratrum?* Atque, etiamsi haec loquendi consuetudo locum haberet in hominibus, qui possunt operum magnitudine deterri, & animo harere suspensi; obtinere non potest in Deo, qui neque indeterminatus esse potest, neque rerum faciendarum amplitudine retardari. Annibal vero plurali locutus est numero, intuens regios milites, qui domus suae occluserant fores: ac praeterea nullum istiusmodi exemplum in sacris libris occurrit, etiam dum verba faciunt Pharaon, Abimelech, Achabus, alique principes superbissimi. Marcello denique Ancyrano opponimus Chrysostomum, Basilium, Theodoretum, ac fere omnes Patres atque Interpretes: sed de horum traditione inferius.

20.  
Obiectio 3.  
cum solutione.

Opp. 3. Veteres Rabini, ut Moyse Gerundenfis, & alii, explicant hunc locum, quasi Deus adloquatur terram, ex qua hominem condidit. Resp. dementiam esse singularem, causam materiale ac patibilem, commutare in causam suipsius effectricem, & mortuum elementum ad opitulandum omnipotenti advocare.

21.  
Oppositio 4.

Opp. 4. Decipuntur, qui hominem factum ad Dei imaginem arbitrantur;

nulla quippe creatura potest esse similis Deo. Dicitur autem recte homo conditus ad similitudinem Angelorum, quoniam in mortali corpore spiritali anima donatus est. Sunt ergo verba laudata Angelorum, non Dei.

22.  
Solvitur.

Resp. nego ant. Etenim ad imaginem Dei, non Angelorum creatum fuisse hominem subsequenter verba demonstrant: *Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Hanc imaginem alii in mente rationali, alii in eo, quod homo praestit volatilibus, piscibus, atque animantibus terrae, alii in libero arbitrio constituunt. Eam in ratione consistere certum puto, quum id affirmet S. Pater xxiv. contra Faustum cap. 2. Huius quoque imaginis partem saltem esse externum dominium, scribit hom. 8. & 9. in Genes. Iannes Chrysostomus. Quidam dixerunt: quod sicut Deus condidit Adam, à nullo alio progenitum, Evam ex ipso Adam formavit, & humanum genus ab Adam simul & Eva propagatum est; ita Pater à nullo est genitus, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedens. Quae postrema imaginis ratio parum mihi probatur; nam si neque Evam, neque posteros Deus condidisset, erat nihilominus Adam factus in similitudinem Trinitatis. Verum de hac in hominibus existente Divina imagine in altera horum librorum nostrorum parte.

Opp. 5. Qualibet locutio aut vocalis est, aut mentalis; vocalis fit, dum vox ab uno ad alterum dirigitur, mentalis, dum ab uno ad alterum dirigitur intellectio: Atqui non datur unius Divinae personae ad alteram locutio, sive vocalis, sive mentalis; nam Divinis personis deberet esse una eademque intellectio, ideoque una non posset ad alteram suam intellectionem dirigere; & ex alio capite, vox à spiritibus invicem adloquentibus non emittitur: Ergo illa verba, *Faciamus, &c.* Non sunt Patris ad Filium, sed unius Dei ad Angelos.

Solvitur.

Resp. Locutionem divinarum personarum non esse vocalem, neque mentalem eo sensu, quod Pater manifestet Filio cogitationem aliquam occultam, quemadmodum contingit in Angelis: sed est locutio, qua dirigitur sermo unius Personae ad aliam per communicationem participationem, & identitatem omnium divinarum consiliorum, quae una persona habet ab altera per originem suae processionis.

Momen-



24. Argumentum 3. Igitur Dominus pluit super Sodom & Gomorram sulphur & ignem, à Domino, de caelo, hebraice **וַעַל עֲמֹרָה**

**הַשָּׁמַיִם. וַיְהוּהָה מְטִיר עַל-סֹדֶם נְפִרִית וַאֲשׁ מֵאֵת יְהוּה מֶן**

25. Ut vim hujus loci percipias, animadvertite, hic nomen **יְהוּה** non solum repeti, verum etiam repeti cum tali emphasi, ut unius exprimatur origo ab altero, nempe cum propositione **מֵאֵת** ex, ab. Observa quoque, haberi istuc nomen Dei primum ac tetragrammaton, quod ubicunque occurrit, semper verum Deum significat, unde exponi nequit de Angelis, ut contendunt Grotius & alii, quos tamen refutat Cantwrightus. Igitur constat ex allato textu, duas saltem esse in Divinitate personas, quarum una originem habet ex altera.

26. Innuit quoque ineffabile Dei mysterium, saltem probabiliter, solum nomen **יְהוּה**, ut constat ex libro R. Hecados, qui inscribitur *Revelator arcanorum*; ubi ait: *Animadvertite nomen quatuor literarum, prout scriptio ejus est, sic enim scribitur in lingua nostra hebraica יְהוּה significare generantem. At non potest generans esse absque genito: & propterea nos volumus generantem & genitum unam esse substantiam.* Plura vide apud Galatinum. Neque videtur carere mysterio, quod nomen istud sit, ut appellant **אֱלֹהִים**

**יֵשׁ בְּאֶרֶב**. Nam, significat apud Hebræos principium; est enim litera, ex qua cætera ducunt originem, & videtur Patrem designare. **י** idem est, ac *vivere, & esse*; neque inepte videtur posita ad significandum Filium, per quem creaturæ omnes vivere & esse coeperunt; & in quo, quæ facta sunt, vita erant. Tertia litera **ו** est nota nexus & unionis, ideoque denotat Spiritum Sanctum, qui est amor & charitas utriusque. Neque absque mysterio dixerim geminari literam **י**, & repeti postremo loco; quoniam Filius duplicem habet naturam, divinam nempe, & humanam; sed hæc videntur ingeniorum exercitamenta.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS

27. Objectio I. Opp. 1. Repetitio nominis **יְהוּה** fit loco pronominis: & idem est, *Pluit Dominus à se, ex alto.* Non enim est in lingua Sancta inusitatum, aliquod nomen vice pronomen. *R. P. Berti Theol. Tom. II.*

minis geminari; ut Genes. iv. Lamech alloquens uxores suas ait, *Audite me uxores Lamech: pro uxores meae: Possunt ergo Judæi facile argumentum istud eludere.* Ita Vatablus, Petavius, & alii.

Resp. nego ant. Etsi enim sæpe nomina loco pronominum repetantur; tamen id non evenit, ubi de Deo sermo fit, ne Judæi idololatriæ sumant inde occasionem: quod hoc potissimum loco erat observandum; ubi proprium Dei nomen apponitur, cum verbo tamen singulari. Sed & repetitur cum propositione, ut diximus, significante originem, non absolute. Neque talis propositio significare potest *ex se, ex alto*; id enim exprimitur sequentibus verbis, *de caelis מֵעַל הַשָּׁמַיִם*. Et etiamsi hic locus ad refutandos Judæos non foret aptissimus, maximum tamen adversus hæreticos robur haberet. Quippe probant hinc Trinitatem Justinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. adversus hæreses, S. Athanasius libro contra Sabellii Gregales, S. Hilarius lib. iv. de Trinitate, Tertullianus contra Praxeam cap. 13. cæterique, ut Petavius fatetur, pene omnes. Quorum ductus auctoritate, nimis ægre patior eruditos viros, qui ex proprietate Hebraicæ linguæ, tantum elevant argumentum; præsertim cum extet anathematismus xvi. Synodi Sirmienensis: *Si quis, Pluit Dominus à Domino, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se dicat pluvisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.*

Dices: Sirmiensem Synodum fuisse conventiculum Arianorum, ut dicemus sequenti libro disputantes de causa Liberii.

Resp. hanc Synodum celebratam fuisse contra Photinum, etsi ab Ariana factionis Episcopis; qui una in re à fide deviarunt negantes, Verbum esse Patri Omousion, vel potius hoc vocabulum suppressantes: in altera fidei patrocinati sunt, Photinum eo anathemate ferientes. Hac in parte Synodus illa recipitur, & commendatur in lib. de Synodis ab Hilario. Neque aliter sentiunt PP. primi Concilii Antiocheni in Epistola Synodica contra Paulum Samosatenum, ubi ex præcitato textu Personarum divinarum probant pluralitatem. Quare anathema Synodi Sirmienensis Catholicorum sensui coheret.

Opp. 2. Falsum est nomen **יְהוּה** soli Deo tribui, nam hoc nomine appellatur mons, in quo Abraham pro filio obtulit sacrificium, Genes. xxi. Item altare

28. Solvitur.

29. Instatur, & respondetur.

30. Objectio 2. cum solutio.



tare erectum à Moysè Exod. 17. Urbs quoque Jerusalem Ezech. 40.

Resp. nego antecedens. Mons enim altare, & Jerusalem, non appellantur יהוה absolute, sed cum addito; Mons scilicet dicitur יהוה ראה Dominus videt: Altare יהוה נס Dominus exaltatio mea; Jerusalem יהוה שמה Dominus illic. Quapropter designatur hoc loco Dei praesentia, ac majestas, ut constat ex Divini nominis addicamento.

#### Momentum IV. Ex pluribus aliis locis veteris Testamenti.

31.  
Argumen-  
tum 4.

Probatur praeterea Trinitas pluribus aliis Divinae Scripturae locis: quorum pleraque ad proximas dissertationes de Filii ac Spiritus Sancti divinitate sunt reservanda. Occurrunt modo versus 22. cap. 111. Gen. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Et cap. xi. v. 7. Venite descendamus, & confundamus linguam. Psalmo 11. v. 7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. xxxii. 6. Verbo Domini cali firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Et cix. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; aliaque id genus permulta. Adversus judaeos urgendi quoque sunt versus 20. Genes. 44. Est nobis pater senex, & puer parvulus, &c. quem R. Hadarlan mystice de Deo, aeternoque ejus Filio interpretatur; versus 3. Il. vi. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, quem de pluralitate personarum divinarum explicat R. Jonadan & versus i. cap. lxi. Spiritus Domini Dei super me, quem de Spiritu Sancto inhabitante super Messiam exponit R. Kimchi.

#### SOLVITUR ARGUMENTUM.

32.  
Objeccio.

Oppones. Primum testimonium ex cap. 111. Geneleos videtur intelligendum de Angelis, quorum scientiam concupierat Adam; non enim credibile est, serpentem homini Divinam sapientiam fuisse pollicitum, & ad hanc creaturam ratione praeditam adspirasse. At alterum ex cap. xi. de Angelis accipiendum, tum Philo affirmat in Libro de Confus. linguarum, cum Augustinus in xvi de civit. Dei cap. vi. & in 2. Moralium Magnus Gregorius. Quibus consentiunt, qui tenent in veteri Testamento nunquam Deum apparuisse, quae est opinio clarissimorum virorum quamplurium. Allata verba Psalmi 11. & cix. sunt Davidi: ad Salomonem, quem ei peperit Uriæ uxor. In Psalmo xxxii.

Verbum significat Patris vocem, & Spiritus anhelitum oris, non subsistentes Personas. Trisagium denique Isaia maximam Dei significat Sanctitatem. Tribus enim gradibus ad perfectionem pervenitur, positivo, comparativo, superlativo.

Resp. breviter, priorem locum non posse Angelis tribui, quoniam praecedunt haec verba ויאמר יהוה Et dixit Dominus: nomine ineffabili ac divinissimo apposito. Illa autem phrasi Deus ironice loquitur, & veluti hominem irridens. Similitudinem vero cum Deo potuit homo concupiscere, quemadmodum & Angelus, peccato superbiae, non quae ignorantiam consequeretur, sed debita considerationis praetermissionem; ut alibi dicendum est. Patemur, Deum confusionem linguarum operatum mediis Angelis, eosque plura fecisse, quae Deo tribuuntur, nempe apparuisse Abraham, dedisse legem, aliaque eximia patrasse; sed illi Divinam majestatem verbis signisque praeseferebant. Idque praesertim hoc loco, in quo subditur, Atque ita divisit eos Dominus, & dispersit eos Dominus. Observavit Drusus, in Chronico templi secundi Senes reddidisse, Descendam, & confundam, & hanc attulisse causam, Ne gentes existimarent Judaeis plures esse Deos. Verba Psalm. 11. de nullo alio possunt commodius intelligi, quam de Christo; quum Messiae haereditas gentium fuerit repromissa; & de filio Dei naturali, non adoptivo proferantur aperte. Hunc tamen locum adversus Socinianorum interpretamenta iterum discutiemus; nam Judaeos, veteresque Sabellianos nunc perstringere cura est. In cix. non memorari Salomonem constat, quod neque Salomon fedit à dextris David, neque dici possit genitus ante Luciferum, neque fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Addo & istic efferri nomen Dei tetragrammaton. De versu Psalmi xxxii. haec luculenter Orat. iv. Catech. beatissimus Gregorius Nyssenus. Neque enim dictio est Verbum, aut Spiritus anhelitus. Quamnam enim tanta virtus proficiscitur à verbis, & ab anhelitu, ut sufficiant ad construendum caelum, & quae in eo sunt virtutes? Si enim dictioni Verbum Dei est simile, & Spiritus anhelitui, similis est omnino virtus ex similibus, & quantas nostrum, tantas vires habebit Dei verbum. Atqui operatione sunt carentes, quicunque verbis transiunt spiritus: quo fit, ut non agentes, & non consistentes illos omnino constituent, qui ad nostri Verbi

33.  
Solvitur.



*Verbi similitudinem Dei verbum deducunt. Sin autem, ut dicit David, Verbo Domini celi firmati sunt, & Spiritus eius omnis virtus eorum, constat mysterium veritatis, quod dicitur esse dicendum Verbum in essentia & Spiritum in hypostasi. Hæc Nyssen. Quod spectat demum ad Trisagium Esaiæ, ultra fateor, superlativa quandoque fieri sola adjectivorum repetitione, ac præcipue in lingua Sancta, in qua non est diversa graduum in nomine terminatio. Verum, hic latere mysterium, colligitur ex trina repetitione, de qua vide accuratam ob-*

*servationem Ambrosii in lib. 2. de Fide ad Gratianum cap. 4. & ex textus prophetici *וְיִשְׁמְרֵם*; nam v. sequenti VIII. ait Dominus: *Quem mittam, & quis ibit Nobis?* Quo plurali numero vides Dominum exercituum sedentem super solium excelsum, ter Sanctum vocari ob puritatem personarum. Sunt ergo, quidquid scribat Petavius, hæc loca ad retundendam pervicaciam Hebræorum idonea; neque, ut ille arbitratur, ex proprietate linguæ facile excutiantur.*

## CAPUT II.

Judæorum ac Sabellianorum solvitur argumentum, & demonstratur, non posse illos accusationibus dogma Christianorum impetere.

### SUMMARIUM.

1. Proponitur argumentum Judæorum, ac Sabellianorum.  
2. Respondetur ad illud.

3. Hebræi per argumentum convincens adiguntur ad deponendam mentis obdurationem.

I.  
Objectio  
Judæorum.

**A**NTITRINITARIORUM sophismata in suum quæque locum distribui: sed restat vulgare illud, quo pervicaciter Christianam fidem quatere moluntur, petitem ex iis Scripturarum momentis, in quibus prædicatur Deus unus, excludens plurium consortium. Hujusmodi sunt ea verba Deuteronomii vi. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Tum Isaiæ xlv. 6. *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Et ibidem v. 24. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens celos solus, stabilis terram, & nullus mecum.* Capite seq. xlv. 5. *Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter.* Atque id genus bene multa. Ex quibus ita possunt argutæ, Si tres essent in divinitate personæ, non esset Deus unus & singularis: At, Deuter. vi. dicitur *Deus unus*: Non sunt ergo plures in divinitate personæ. Deinde, ubi plures personæ sunt, idem non potest dici primus & novissimus: Sed, ut inquit Isaias: idem Deus *primus est, ac novissimus*; Ergo non sunt plures in Deo personæ. Præterea soli Deo, quem Patrem appellamus, convenit omnia producere: Atqui, ut idem Isaias testatur: præter Deum, qui omnia condidit, *non est alius*; Ergo non est alius præter Deum Patrem. Possunt & istud urgere argumentum: In veteri testamento Deus ap-

pellatur Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Atqui Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob est una tantum persona: non enim potest esse Verbum, seu Filius, ut Christiani credunt; cum in horum Scripturis, scilicet Act. III. scriptum sit, Filium fuisse glorificatum à Deo Abraham, à Deo Isaac, & à Deo Jacob: Est ergo Deus patrum nostrorum longe diversus à Filio, quem Deum esse existimant Christi fideles.

Breviter omnia expediam, quum singula probent tantummodo in Deo singularitatem naturæ, non vero unitatem personæ. Ergo cap. vi. Deuter. Dei prædicatur unitas adversus pluralitatem Deorum, quamquam non caret mysterio trina Divini nominis repetitio, ut animadvertit R. Simeon Ben-Johai libro, qui inscribitur Zohar, & R. Ibba apud Galat. lib. 2. cap. 1. Cui addo in libro Raccanath, in quo de numerorum mysteriis agitur, notasse veteres Cabbalistas nomen *יהוה* Deus ter repetitum una cum numerali *אחד*, Unus, conficere numerum xci. qui resultat etiam ex voce *אמת* Veritas; unde inferunt Cabbalistiche significare Deum non esse summam veritatem, nisi ternarius numerus jungatur cum unitate. Ex quo testimonio probat Glassius Art. VII. de Allegoriis, vetustos Hebræos à doctrina nostra de SS. Trinitate non fuisse alienos. At Isaias 44. Capite Messie

2.  
Solvitur.

*יהוה*  
LXXVIII.  
*אחד*  
XIII.  
*אמת* xci.



Messia vaticinatur adventum; qui dicitur *primus*, quoniam secundum divinam naturam ante luciferum est genitus; & *novissimus*, quod secundum humanam natus sit in temporum plenitudine, vel, ut explicat Epiphanius, venturus sit in extremis temporibus iudicaturus orbem terrarum. Ad tertium respondendum est unum solum Deum creasse universa, quoniam trium personarum una est omnipotentia, ac divinitas: sed videant quomodo sibi consent, qui supra autumabant etiam Angelos fuisse hominum conditores, & modo nobiscum confitentur unum duntaxat Creatorem. Ad ultimum dicimus, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob glorificasse Filium suum, indutum carne, nostraque circumdatum infirmitate; non autem in ea Divina, ac sempiterna substantia, quam Filius ipse habet cum Patre communem.

3.  
Roboratur  
Solutio.

Pro coronide huius adversus Hebræos disputationis quædam addo, quibus eos possumus adigere ad deponendam mentis obdurationem, illamque altissimo captivandam mysterio. Ac primo percommoda videtur perpetua Scripturarum œconomia, profunda linguæ Sanctæ syntaxis, quam non ad regulas Grammaticæ exactam putandum est, sed ex ea potius grammaticales natas institutiones; cum illa primigenia sit, mundique exorta incunabulis. Addendi sunt veterum Rabbiorum libri Commentarii, & Cabbalistarum observationes: inter quas licet multa occurrant puerilia, sunt tamen, quæ monstrant vetustis Hebræis aliquam fuisse mysteriorum nostrorum notitiam, quod ex dictis abunde arbitror manifestum. Juvat quoque exponere Judæis Theologiam Philonis viri inter suos nominis, doctrinæque fama conspicui. Is enim lib. de Sacrificio Abel & Cain scribit in Deo esse Sermonem opificem mundi, qui neque est ingenuus, quemadmodum Pa-

ter, neque est genitus, ut sunt homines; & conjungi, inquit, Deum duabus summis efficacis inter se distinctis, quarum una est *imperium*, altera *bonitas*; sed neutra mensuris capitur. Tradit similia lib. de Cherubim, & lib. 2. de Agricultura Noe, ut observat in notis ad v. de Veritate Religionis Christianæ cap. xxxi. Hugo Grotius. Quare eo pacto consistunt in una, perfectissimaque Divinitate tres distinctæ personæ, quo juxta Philonem secernuntur invicem, & ab ingenito Patre, Sermo opifex creaturarum, & summa, incommensurabilis Bonitas. Rursus R. Maimonides in libro de Fundamentis, Joseph Albo, & Aben-Hezra ad Cap. xviii. Geneseos, putant in Deo reipsa distingui id quod cognoscit, quod cognoscitur, & cognitionem; quamquam hi omnes unicam statuunt, individuumque divinitatem. Etiam Cabbalists, ut constat ex additamenti ad Lexicon Schindleri, Deum in tria diversa lumina dividebant. Ulterius in Gemara Hierosolimitana tit. de Docum. cap. 3. & in Gemara Babylo-nica tit. Joma cap. 1. memoratur Spiritus Dei, quem vulgo appellant *Sebekina*, & in monte Oliveri diu Judæorum conversionem expectasse fabulantur. Quapropter si per Hebræos minime pugnat in unica divinitate Sermonem ab ingenito patre distingui; si non pugnat cognoscentem à cognitione verboque secerni; si non pugnat singularem Deitatem trino consistere lumine: si non pugnat procedere, & mitti à Deo *Sebekina* increatum ad populi sui conversionem, divinumque & omniscium Spiritum Prophetarum: fateantur oportet nec repugnare in Deitatis unitate plures personas. Quæ non ideo dicta sunt, quasi omnia Judæorum commentaria probemus; sed ut videant Hebræi ab ipsis reprehendi quæ castigato à nobis, à se depravato sensu creduntur.

### C A P U T III.

Divinarum Personarum Trinitas ex tribus novi testamenti locis contra hæreticos asseritur.

#### S U M M A R I U M.

1. Primum testimonium de existentia Trinitatis ex cap. 3. Matthæi, ex 1. Marci. & 3. Lucæ.
2. Secundum ex Matth. c. 28. v. 19.
3. 4. Solvuntur objectiones quædam Socinianorum.
5. Tertium ex cap. 5. v. 7. epistol. 1. Joannis.
6. 7. 8. Probatur, versiculum 7. mox citatum esse genuinum, neutiquam adscititium.
9. Prælaudati textus auctoritatem à compluribus Ecclesiæ Patribus agnitam fuisse asseritur.
10. Supposita cit. versus Canoniciate patentem trinum D. Personarum distinctionem esse inferitur.
- à num. 18. usque ad 17. respondetur ad Erasmi, ac Simonii fundamenta.
18. 19. & 20. Sausit Ariani, & Sociniani.

Ubi



Trinitas  
probat ex  
novo Testa-  
mento.

1.  
Probatio 1.  
ex Matth.  
Marco, Luca.

Ubi de Verbi, ac Spiritus Sancti divinitate sumus disceptaturi, aliqui huc pertinentes afferentur textus Scripturarum. Producam modo tres solos, in quibus trina commemorantur Personæ; ac de tertio, quo res conficitur, agendum est accuratius.

Igitur primum testimonium depromitur ex cap. III. Matthæi, ex I. Marci, & III. Lucæ, ubi recenferetur Christi baptismus, in quo tres personæ fuerunt declaratæ, Pater & Filius cœlesti illa ac mirabili voce, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: & Spiritus Sanctus, dum super ipsum Christum descendit corporali specie sicut columba. Ad quod elevandum perperam reponunt Sociniani, designari istic personam Filii adoptivi, non naturalis. Nam de proprio Filio agi, indicant ea verba: *Hic est Filius meus dilectus*: quæ de nullo alio dicta leguntur: unde in Sexto de Trinitate, inquit Hilarius: *Annon tibi in eo, quod dicitur, Hic est, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios; sed, Hic Filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen; sed iste mihi filius est.* Et quibus verbis, quæso, naturalis Filius potuerat melius designari? Addo emphasisim, quam præfert in Græco codice inculcatio articuli; nam habetur, *ὁ υἱός, ὁ ἀγαπῶνός, ille filius meus, ille dilectus.* Perperam quoque ajunt per Spiritum Sanctum intelligendam esse gratiæ plenitudinem, qua donatus est Christus. Enimvero quis dixerit, gratiam descendere, & super aliquem manere, quemadmodum de Spiritu Sancto legitur in Evangelio? Atque si Pater ac Filius personæ esse creduntur; quare non Spiritus? Num dicent, descendisse columbam, eamque collatæ gratiæ fuisse signum? At non columbam descendisse, sed Spiritum in specie columbæ Evangelistæ testantur. Legunt Græci *πνεῦμα ὡς καταβύον ὡς παρὰ τὸν οὐρανόν*: Spiritum Dei descendentem, quasi Columbam: Est autem *ὡς* particula, quæ nunquam ponitur pro ea, quam Hebræi appellant *Caph veritatis*, sed aut mensuram, aut similitudinem significat, ad differentiam particulae *ὡς*, quæ aliquando est, ut Græci vocant, *ὡς δεσποινὴς δεσποινῆς*, ut Joan. cap. I. 14. *ὁ λόγος αὐτῆς ὡς μονογενὴς* gloriam quasi unigeniti. Si ergo non dicitur descendisse Columba; quis, nisi Spiritus Sanctus descendit? Num vero reponunt, virtutem Altissimi descendisse in specie Columbæ, id est non vehementi ac repentino sonitu, sed leni? At Spiritum corporali specie, quæ

proculdubio Columbæ erat, descendisse asseritur apertissime. Atque si vel leni, blandoque illapsu, si vel vehementi descenderit, non inferes inde Spiritum non esse personam. Minus audiendus Schlictingius dicens, si in columbæ specie apparuit Spiritus, eundem & in linguis igneis fuisse super Apostolis dispersitum. Putidissima sane argutatio; quasi à signorum & imaginum partitione fas sit divisionem concludere personarum, & ab effectuum pluralitate multiplicitem causarum efficientium; & quasi nequeant esse unius artificis plures statuae, & unius Principis plures imagines, aut virtus divinitatis unius linguae symbolo circumscribatur. Sed quid moror Unitarios? Hæc leguntur II. Act. Apost. 3. *Et apparuerunt illis dispersitæ linguae tanquam ignis; seditque supra singulos eorum.* Vides divisionem charismatum, & signorum in his verbis: *Et apparuerunt illis dispersitæ linguae.* Vides Spiritus unitatem in sequentibus, *Seditque supra singulos eorum.* De primo autem testimonio satis.

Habetur alterum Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* En expressa individua Trinitatis confessio. Siquidem *τὸ ἐν ὀνόματι* unitatem substantiæ, reliqua verba personarum indicant distinctionem. Quod ut eludant, nullum lapidem non movent Sociniani. Etenim reponunt aliqui conferendum baptismum in nomine Patris, & Christi filii ejus adoptivi, ac virtutis potestatisque divinæ. Quæ responsio frivola est, & cavillosa; tum quod si fatentur Patrem & Filium personas esse distinctas, id pari jure de Spiritu Sancto profiteantur necesse est, qui hoc loco eadem ratione exprimitur, & alibi missus dicitur, descendens, Paraclytus, aliisque characteribus designatur, qui subsistentem personam evidenter demonstrant: tum quod inepta est prorsus, & inusitata istiusmodi phrasis, ac sensus extortus, si dixeris ablui baptizatos in potestate potestatis, aut in virtute virtutis. Alii inquirunt, baptizari in Spiritum Sanctum nil denotare, quam tingi in fidem, doctrinamque Christianam: horumque interpretatio nixa videtur Græcorum versioni, quæ habet *εἰς τὸ ὄνομα, in nomen.* His ultro lubenterque fatebimur, quod baptizari *εἰς τὸ ὄνομα, in nomen*, sit ablui in fidem, & cum professione fidei Trinitatis; sed hinc nequaquam consequitur & Filium, & Spiritum Sanctum non esse distinctas à Patre personas. Quin cum

2.  
Probatio 2.



cum baptizari αἰς τὸ ὄνομα in nomen alicujus, sit sese ei auctorare ac devovere, necnon in ejus jurare doctrinam; quo sensu de Hebræis, qui Moyli se dederunt, scribit Apost. 1. ad Corinth. x. 2. πάντες αἰς τὸ Μωϋσὲς ἐβαπτίσαντο omnes in Moysen baptizati sunt; & idem Apostolus negat quemquam baptizatum in suum nomen eadem Epist. cap. 1. 13. 15. scilicet, neminem sibi mancipatum esse, tanquam novi dogmatis auctori: si, inquam, baptizari αἰς τὸ ὄνομα, est se fide ac professione alteri devovere; ex baptismatis forma recte colligimus, baptizatos fidei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, pari devotione, nulloque discrimine mancipari.

3.  
Obiectio Sociniano-  
rum.

At insurgunt Sociniani dicentes posse conferri baptismum, & dirigi fidem in nomen plurium, quamquam unum non sint communione naturæ. Quod probari videtur hisce contextibus. In priori ad Corinth. cap. x. v. 2. legimus: *Et omnes in Moysē baptizati sunt, in nube, & in mari;* ubi nullus dixerit unam esse Moysis, nubis, marisque naturam. Exodi quoque xiv. 31. habetur: *Et crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.* Tum 1. Regum cap. xii. 19. *Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem.* Adde commendari animam in sui agone, ut proficiscatur ex ergastulo carnis, in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, in nomine Angelorum & Archangelorum, &c. ut habetur in appendice Breviarii Romani. Quid? Etiam fori consuetudo est, nomine simul Principis, & Magistratus, Judicisque subalterni, promulgari leges, ac proferri sententias.

4.  
Solutio ob-  
jectionis.

Verum non sunt hæc Antitrinitariorum commentationes melioris notæ præcedentium. Quippe aliud est baptizari in Moysē, & nube, & mari, aliud baptizari in nomine &c. Baptizari in Moysē est Moyli credere tanquam legislatori, ut diximus, & eo præeunte ingredi iter sub nube, & per mare. Baptizari in nomine Moysis, nubis, & maris, esset eandem auctoritatem, eandemque fidem tribuere, Moysi, nubi, marique: quod cum ineptum sit, jure Apostolus hanc loquendi formam minime adhibuit. Ac præterea Apostolus ibi accipiendus est, veluti scribat: *Et omnes quasi baptizati sunt:* nempe, præfiguratum fuisse baptismum in Moysē, in nube, & in mari: nam & ait, *omnes eandem escam spirituali manducaverunt; & omnes eundem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali confluence eos petra,*

petra autem erat Christus. Omnia scilicet olim in figuris contingebant. Ex quo autem Apostolus affirmet transitum maris rubri, duce Moysē, fuisse typum nostri baptismatis, neque aliud promat; ineptiunt profecto, qui contra formam nostri baptismatis deducunt inde argumentum. Me non latet communiter respondere Theologos, vetare Paulum ne Christiani dicantur baptizati in nomine creaturæ; & ideo, si baptizati sumus in nomine Filii, & Spiritus Sancti, est uterque cum Patre unus Deus; huc enim confugiunt omnes. At callidi Unitarii responderent, neminem baptizatum in nomine Pauli, quoniam is neque fuit institutor baptismi, neque novi dogmatis legisque propagator. Quæ, tametsi ad improbum sensum detorqueantur, aliquid tamen continent veritatis. Paulus enim hortatur Corinthios, ut vident schisinata, neque dicat unusquisque, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi; quoniam omnes per baptismum in unius Christi doctrinam sumus mancipati, hominesque sunt Evangelii ministri, non auctores. Non possumus ergo baptizari in nomine alicujus, qui non sit legislator: quod fatebuntur hæretici. Ego itaque dico, quod baptizari in nomen alicujus, est se illi devovere fide, obsequio, obedientia, doctrina, tanquam primo institutori ac Magistro; idque constat textibus, quibus Antitrinitarii abutuntur. Ex quibus infero tam Patrem, quam Filium, & Spiritum Sanctum esse Evangelii institutores ac Magistros primos, summos, maximos, non unum subministrum alterius; imo unum eundemque auctorem, & institutorem, ratione potestatis ac divinitatis, ob quam dictum est, *In nomine.* Textus vero ex cap. xiv. Exodi non juvat Socinianos; quoniam asserit Israelitas credidisse Deo tanquam Domino, ac Moysi solummodo tanquam Domini Servo: neque ad rem est alter ex primo Regum; quippe possumus & Deum & homines simul timere; at non Deo & homini pariter obstringi, tanquam Sacramentorum Institutoribus, atque auctoribus Gratia. In Animarum commendatione τὸ in nomine invocationis est nota; & non solum Deum, sed etiam Angelos æquum est invocare: in forma autem baptismatis præter invocationem, τὸ in nomine summam, ut diximus, auctoritatem, potestatemque significat. Forensis consuetudo, de qua supra, obtinet, ubi in Principe & Magistratu propter aristocraticam politiam est



est æquale, aut divisum imperium: nam ubi principatur Monarcha, non recte diceretur, *Imperat Princeps ac Magistratus*, sed *Imperat Magistratus nomine Principis*. Et hæc de secunda auctoritate.

5. Probatio 3. Tertiò occurrit celebris versus 7. cap. v. Epistolæ i. Joannis: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*. Quo cum per quam maxime urgeant Unitarii, multiplici via conantur ipsum elevare. Nam aliqui hæc verba assuta & insita, non autographa esse contendunt, quam opinionem tuerentur Erasmus quoque, & Richardus Simon, vir aliquin Catholicus, & Criticus haud vulgaris: alii saltem nullius roboris esse arbitrantur, quod eo textu nunquam Patres adversus Sabellianos, Arianosque pugnaverint: alii denique illorum verborum vim credunt penitus enervari, si comparentur cum versu viii. sequenti, *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*. Quibus agi de unitate testimonii, non substantiæ ac naturæ, manifestissimum est. Ea propter demonstrandum est versiculum illum genuinum esse, non insititium, laudatum à Patribus, atque ad comprobandum dogma Trinitatis aptissimum.

6. Germanus est præfatus versiculus vii. non adscititius, aut Catholicorum dolo, aut oscitantia ex margine, Scholiisque in textum intrusus.

Probatio 1. Hanc propositionem sic ostendo. Quamquam in nonnullis Mss. venerandæ antiquitatis versus iste desideretur, invenitur tamen in pluribus: nam Robertus Stephanus ex Codd. xvi vetustissimis undique magna diligentia conquisitis septem duntaxat observavit hoc carere versiculo. Lovanienses ex magno Mss. numero testantur in quinque folis desiderari. Correctorium Bibliorum, quod asservatur in Bibliotheca Sorbonica in paucis deesse testatur. Amelotius fidem facit extare in Vaticano Codice omnium antiquissimo; in melioribus Codicibus reperiri testantur Laurentius Valla, Calvinus, Theodorus Beza. Ipse Erasmus fatetur reperiri in vetustissimo Codice Brittanico; & Simonius non negat extare in Ms. San-Germanensi ante annos octingentos exarato. Grotius Tom. iii. Theolog. Op. testatur penes se antiquissimum Ms. haberi, cujus auctoritate ait se plurimum duci, hunc versum exhibens. Laudat Salmeron Tract. viii. in Evan-  
R. P. Berti Theol. Tom. II.

gelicam historiam etiam pervetustos Codices Hispaniensem ac Rhodiensem, quos scribit lectos etiam, aut notos Erasmo. Ex tanto ergo testium, & Codicum numero, negari non potest, quin textus ille germanus sit, atque autographus.

Præterea quod desideretur in quibusdam Mss. non probat insitum esse & assutum. Quotiescunque enim eadem verba secundo ponuntur, facili evenit, ut Amanuenses intermedia prætereant. Neque enim desunt exempla, quibus talis Scriptorum probetur incogitantia: nam Jeremiæ cap. xxx. v. 14. & 15. in pluribus Græcis τὸν lxx. quatuor desiderantur commata, quod repetantur ea verba, *Propter multitudinem iniquitatis tuæ*. Et Josue Cap. xxi. 36. in pluribus hebraicis Codicibus deest τὸ, *Civitates quatuor cum suburbanis suis*: ob horum verborum repetitionem. Quæ non habebant vetusti Codices conscripti tempore R. Kimchi circa annum Christi 1190. neque tempore Paraphrastæ Chaldæi, qui scripsit ante Christi adventum, neque tempore Masoretharum; & tamen habent Codices aliqui antiquissimi, ut testatur Masius, Glassius, & præcitatus quoque Rabbini.

Uterius hujus loci germanitas ex Epistolæ contextu, & scopo corroboratur. Ex contextu; nam particula copulativa versus viii. *Et tres sunt, &c.* & versus 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*; haud obscure demonstrant verborum connexionem, & quod Apostolus de duplici testimonio divino, & humano egerit sigillatim. Quod confirmat Scopus Epistolæ. Scripsit enim Joannes Epistolam illam, ut auctor est Athanasius in Synopsi, & in Comment. Bedæ, adversus Hæreses Marcionis, Cerinthi, & Ecionitarum, qui Christum ante Mariam non fuisse, quemadmodum & Sociniani differunt, opinabantur. Congruum erat ergo, ut Apostolus duplici testimonio præexistentiam & divinitatem Christi, necnon veritatem Incarnationis firmaret. Ex fide igitur Mss. antiquiorum, ex consuetudine Amanuensium, & ex ipsa Apostolica Epistola demonstratur hujus loci autographia.

9. Germanus est prælaudati textus auctoritatem agnoverunt complures Ecclesiæ Patres.

Ut omittam Tertullianum in libro adversus Praxam cap. 25. & Cyprianum lib. de Unit. Ecclesiæ, qui citant quidem hunc locum, ut de S. Cypriano constat ex Fulgentio ad decimam Arianorum

7. Confirmatur.

8. Probatio 2.

Germanus est v. 7. S. Joan. ex Patribus Ecclesiæ. Probatio.



norum objectionem, sed tamen non adeo aperte, ut cogantur acquiescere Heterodoxi, cum postrema tantum laudent verba, *Tres unum sunt*; ut, inquam, istos omittam, de quibus vide Bullum, Hammondum, & Veronensem doctissimum Blanchinum in Pseudo Athanasiana Enarrat. certe præfatum textum tanquam Divinum proferunt Eugenius Carthaginensis Episcopus in Professione Fidei, quam nomine Confessorum Mauritaniae exhibuit Hunnerico Regi Ariano anno 484. laudat quoque Auctor Prologi in Epistolas Canonicas, qui tribuitur Hieronymo: Laudat Epistola 1. ad Orthodoxos Hyginus Papa: laudat Victor Vitenensis lib. 3. de Persecutione Vandalica: laudant Vigilus Taplensis in libro ad Varimadum, qui Tomo VI. Biblioth. PP. inscribitur nomine Idacii Clari antiquioris Vigilio, Innoc. III. cap. *Quadam* extra de Celebrat. Miss. & in Generali Concilio Lateranensi adversus Joachimum Abbatem, Bernardus Serm. 1. & 2. in Octavam Paschæ, & Hesylus, qui contestatur hanc lectionem reperiri in antiquissimo Codice Anglicano, atque in altero Hispaniensi. Quorum testimonia vide partim apud Honoratum Tournely, & Nicolaum L'Herminier, partim apud Bullum, & Blanchinum, partim vero apud Salmeronem citatis locis. Inter hos vero, aliosque, duobus sese dedant Unitarii, & Critici necessum est, scilicet Athanasio Africanæ Ecclesiæ Antistiti, qui floruit longe ante exortam hæresim Pelagianam, & semper adhæsit Italicae Versioni nondum emendatæ à Hieronymo; & Cassiodoro, qui floruit quidem sexto sæculo, & post emendatam Versionem Italicam, sed utebatur antiquissimis, probatissimisque Codicibus undeque summa diligentia collectis, ut ipsemet scribit libro divinarum Instit. cap. VIII. Quod animadvertendum est, ne reponant Morosi Sugillatores Cassiodorum Versione jam deturpata fuisse deceptum. Athanasius ergo producit testimonium istud in Expositione Symboli, quam ex penu Bibliothecæ Veronensis Capituli vulgavit præfatus Blanchinus: & Cassiodorus illud affert in libro Complexionum, quas edidit alter Veronensis Urbis vir celeberrimus Scipio Massey. Quare hi duo ambo Itali, & ejusdem Urbis Patrii videntur tandem controversiæ materiem penitus subtulisse.

10.

PROPOSITIO III. Supposita laudati versus Canonicitate, patens est trium divinarum Personarum distinctio.

Constat, quandoquidem Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus dicuntur tres, & unum, sunt ergo tres personalitate & hypostasi, unum divinitate & natura. Quippe dici nequit quod sint plures, & unum secundum eandem rationem; neque quod unum sint solo consensu, & unitate testimonii, ut dicam infra.

#### RESPONDETUR ERASMO AC SIMONIO.

Opponit autem Erasmus. Sanctus Cyrillus lib. 14. Thesauri cap. penultimo profert contra Arianos versum VIII. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, &c.* Non omisisset autem primum, seu antecedens, si in aliquo vetusto Codice reperisset. Nullam pariter hujus mentionem fecit Augustinus, qui contra Maximinum Arianum omnia argumentorum genera complexas est: neque Beda, cui in observandis antiquis exemplaribus nec diligentia defuit, nec peritia linguarum. Ad hæc: Hieronymus, qui hunc versum intrusit, unde illum exscripsit? Certe ex Græcis exemplaribus: sed hæc aut variabant, aut non: si non variabant, cur prætermiserunt Cyrillus, alique Patres? Si variabant, quomodo docet Hieronymus utrum sit rectius, utrumve scriptum ab Apostolo? Præterea conqueritur Hieronymus aliquos eum accusare tanquam falsarium, corruptoremque sacrarum Scripturarum. Quis vero eum clamasset falsarium, nisi publicam mutasset lectionem? Rursus additio hujus loci nihil efficit adversus hæreticos; quia cum constet olim codices variasse, nihil hoc telum adversus illos valebit. Præterea Erasmus, qui ex codice Britannico hunc versum reposuit, ne cui esset ansa illum calumniandi, consuluit postea duos codices miræ vetustatis in Burgeni Bibliotheca D. Donatiani, & neuter habebat. Accepit quoque à Paulo Bombasio deesse in vetusto Codice Vaticano; in quo & auctoritas erat vetustatis, & Pontificis, quoniam ex illius Bibliotheca petitus est. Consentit editio Aldina, quæ eo caret. Hæc sunt, ob quæ Erasmus rediit iterum ad ingenium, postquam in editione Antuerpiensi anno 1531. lectionem Apostolicam restituerat.

Resp. Cyrillum, Augustinum, & Bedam hunc textum Arianis non objecisse, Solutio Erasmus vel quod ad manus haberent codices qui sine objectionibus eo carebant, vel quia cum possent alium de Arianos confutare, de authenticitate

Ex. v. 7. 18.  
Joan. pater  
distinctio  
trium D.  
Personarum.

11:  
Obiectio 1.  
Erasm.

12.

tate



tate huius loci contendere noluerunt. Uti sunt tamen hoc loco alii PP. quamplurimi, quos Prop. 2. memoravi; unde constat verum in omnibus Bibliis extasse, quæ hi Patres habuere præmanibus. Neque Hieronymus publicam mutavit lectionem; quandoquidem versus ille extabat in antiqua Italia, qua ante Hieronymi ætatem utebatur Athanasius Africanus Episcopus, nec non in vetustissimis membranis, unde exornavit Complexiones suas Cassiodorus. Hæc dicimus, dato quod Prologus in Epistolas Canonicas auctorem habeat Hieronymum, quod inter Eruditos non constat. Discerni autem potuit, quænam esset vera & Apostolica lectio ex Codicum Collatione, & numero: pluribus enim, & antiquioribus fides habenda est; præsertim ubi apparet causa erroris Amanuensium, ut istic contingit. Neque omnes Ecclesiæ Hieronymum falsarium, corruptoremque divinarum Scripturarum appellaverunt, ut fecissent, si publicam mutasset lectionem: sed omnes illum veneratæ sunt, & merito suspexerunt. Quod id ausus sit aliquis invidus & obrectator, famam Hieronymo non minuit, sed augeat: neque indicio id est communem mutasse lectionem, sed castigasse privatam. Hac emendata habemus telum efficax contra hæreticos, qui nequeunt reponere nos pro lubitu sacras literas depravasse, cum id factum sit ex Mss. melioris notæ, & ex Patribus. In Burgensibus, quæ citat Erasmus, errorem dicimus irrepsisse, cuius non opus est, ut repetamus originem, aut exempla Erasmo ipsi notissima. Vaticanus Codex, de quo Bombasius Erasmus reddidit certior, non est antiquior in Bibliotheca Pontificis; cum alium vetustior, in quo extat hic versus, viderit Amelotius; cui addendi sunt, quos 1. Prop. recensui, etiam Britannicus, qui invitum Erasmus ad Bibliorum suorum restaurationem impulerat. Quod ait non deesse Codici Vaticano Pontificis auctoritatem, quoniam ex illius petitur Bibliotheca, indignum est Erasmi eloquio ac doctrina: non enim thesibus, paginisque librorum continetur Romani Pontificis auctoritas; neque ullus ex Successoribus Petri decrevit prædictum Codicem, aut Aldinum, aut Burgensem esse undequaque completum & Apostolicum; quemadmodum de Vulgatæ nostræ lectionetum Papa, cum Tridentina Synodus statuerunt.

13.  
Oblectio 2.  
Richardii Simonii.

Opp. 2. Cum Richardo Simonio. Tres sunt notæ, quibus dignoscitur huius falsi.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

stas testimonii; quarum prima est, quod desit in septem Mss. Regiis, in v. Bibliotheca Colbertina, in multis Græcis, Latinisque, in Syriacis quoque, Arabicis, & Aethiopicis. Altera, quod in multis Codicibus versus VIII. præmittitur septimo, quod nempe Scholium ex Margine in textum irrepsit. Tertia, quod nullus ante v. sæculum, & Victorem Vitensem ipsius meminit; neque etiam Hieronymus, cui supponitur Prologus in Epistolas Canonicas, & falso illi adscriptus.

Resp. Has Simonii conjecturas nullius esse momenti. Etenim quantum ad primam; constat verum septimum in pluribus Codicibus inveniri, & cur in aliquibus desit: quæ duo priori propositione sunt demonstrata. Non minus levis est altera; nam cum amanuenses errorem in scribendo adverterent, quæ omiserant reposuerunt: idque fateri debet Simonius, qui parum sibi constans Prima Parte cap. 18. Criticæ novi Testamenti laudat Codicem San-Germanensem ante annos octingentos exaratum, in quo versus septimus legitur non per modum Scholii & in margine; ut etiam in pluribus ex his, quos recensuimus. Levissima quoque est tertia; quandoquidem hunc textum laudarunt Athanasius Africanus, & Hyginus Papa; alique bene multi ante ætatem Hieronymi.

Quod attinet ad Prologum in Epistolas Canonicas, num sit Hieronymi, necne, parum refert; cum alios præter Hieronymum Patres habeamus testes locupletissimos. At Simonius minimis ductus momenti illum Hieronymo adjudicavit, quem doctissimi PP. Benedictini Tom. 1. Divinæ Bibliothecæ dignis Censuris exceperunt. Afferuit Richardus adscribi perperam Hieronymo, quod in pluribus vetustissimis Mss. desideretur. Respondent Benedictini extare in Regiis num. 3561. & 3564. in Colbertinis num. 1. & 158. scriptis, nullo refragante, antetempora Caroli Calvi, in quatuor quoque Bibliothecæ San-Germanensis, & in Corbejensi antiquissimo. Addunt nonnullas præfationes, quas omnes fatentur esse Hieronymi abesse à vetustissimis Mss. in Regio num. 3564. desiderari Præfationem in librum Ezræ, & in tribus Exemplaribus Canonis Hebraicæ Veritatis deesse Præfationem in Psalterium. Deinde ait Simonius supposititium esse hunc Prologum quod extet in quibusdam Ms. absque nomine Auctoris. At Benedictini ex adverso demonstrant alias

14.  
Solutio objectionis Simonii.

15.  
Solutio de Prologo in Epist. Canonicas.



quoque Hieronymianas præfationes, vel omnes, vel aliquas sine auctoris nomine reperiri in Codice Ms. Montis Majoris prope Arelatem, in Canone Hebraicæ Veritatis Carcaffonenfis Ecclesiæ, in Colbertino antiquissimo n. 16. in San-Germanensi num. 164. Tertio opponit Simonius Prologi Auctorem esse Collectorem illum, qui omnes libros novi, ac veteris Testamenti uno volumine complexus est. Et id conatur ostendere ex Præfatione affixa initio Actuum Apostolorum, quæ non est scripta à Hieronymo, sed desumpta ex ejus Prologo Galeato. Verum respondent Monachi in Prologo Galeato de libris novi testamenti altum haberi silentium, ac memoratam Præfationem desumptam esse ex Epistola Hieronymi ad Paulinum: ex qua putant derivasse etiam Prologum breviorē, qui reperitur in pluribus Mss. ante Apostolicas Epistolas. His eximuntur argumentationes Simonii, de quibus laudati Patres, Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1693. à pag. 97. ad 110. & in Commentariis de Script. Eccles. Tom. 1. Sæculo 14. in Hieronymo, Cap. XI. Calimirus Oudin Monachus excucullatus.

16. Verum tamen est quod iidem Monachi gravioribus ducti argumentis censent Prologum, de quo agimus, non esse Hieronymi. Primo, quod in ipso Prologo occurrit nomen Epistolarum Canonicarum, quas alibi S. Doctor appellat Catholicas, non autem Canonicas, uti vocari cœperunt ab ætate Cassiodori, qui hoc nomine utitur VIII. Capite libri divinarum Institutionum. Ulterius quod auctor prologi gloriatur rem perutilem se facere Ecclesiis, cum in priorem ordinem ac seriem Apostolicas revocet Epistolas; nam & perpetuo talem ordinem servasse comperitur, neque res videtur tantæ, ut inquit, utilitatis. Tandem ob styli barbariem, & orationem indignam Hieronymo eloquentissimo: apud quem nullibi invenies illud infimæ latinitatis *Quod quia*, ut in hoc Prologo offendes.

17. Solutio objectionis de Prologo. Cæterum neque hæc magnum habent pondus, & respondet ad singula Honoratus Tournely De Trinit. pag. 116. per antiquum esse Canonicarum Scripturarum vocabulum, usurpatum à Synodo Anthiochena, & à 14. Carthagenensi: hanc styli discrepantiam nec Erasmus sagacissimum deprehendisse: Auctorem Prologi non designare, num Epistolarum ordinem inverterint veteres, num sui coætanei. Quibus addo ex Confessione eorundem Benedictino-

rum, hunc Prologum præferre nomen Hieronymi in Mss. antiquioribus Corbejensi, Colbertino, San-Germani, & S. Andreae prope Avenionem. Nolo tamen certum proferre iudicium, dum solis agitur conjecturis. Si prologus non sit Hieronymi, cedit in reprehensionem Erasmi; si vero sit, in confutationem Simonii; quum interim uterque peccet: nam Hieronymus in sacris literis versatissimus infidelitatis argui non debet, nec ipse omnium primus versiculum in Apostolicam intrusit Epistolam.

#### RESPONDETUR ARIANIS ET SOCINIANIS.

Opponunt 3. Hæretici: In versu VIII, sequenti: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*; non subintelligitur ulla substantiæ unitas, nullumque subest arcanum. Ergo neque in versu septimo præcedenti.

Resp. Plures à Theologis adhiberi responsiones, quarum singulæ argumentum istam elidunt. Dicunt aliqui vetustissimos Codices non habere postrema verba, *Et hi tres unum sunt*; & Grotius diserte tradit addita fuisse ab Arianis; in quam sententiam inducitur ex antiquissimo manuscripto, quod deprehendit cum aliis pluribus concordare. Observant alii haberi in textu Græco *ὅτι τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσιν*, *Et hi tres in unum sunt*. Animadverti ego legi apud Idacium Clarum, sive Vigilium Tapscensem, in libro contra Varimadum, *Et hi tres in nobis sunt*. His omnibus liquet magnum interesse inter versum VII. & VIII. discrimen. Repetunt alii responsionem ex versu 9. proximo: *Sit testimonium hominum accipimus, Testimonium Dei majus est*.

Ego vero, etsi omnes Sententiæ istæ probabiles sunt, & prima præsertim, cum Lovanienses testentur se quindecim per vetustos legisse Codices, in quibus non erat, *Et hi tres unum sunt*: hæc tamen verba genuina esse profiteor. Nolo enim contra hæreticos disputans partem Apostolici testimonii avide arripere, partem timide rejicere. Autographum censeo undequaque, tum quia legitur in Vulgata Latina, quæ cæteris versionibus præstat; tum quia legitur quoque à S. P. Augustino libro II. contra Maximinum cap. 22. Sed operæ pretium est, ut evidenter ostendam, quomodo posteriora verba præcedentium vim non infringant. Primum ergo Spiritus, Sanguis, & Aqua Sacramenta & signa sunt: & quotiescunque de Sacramentis ac signis

18. Objectio 2. Arianorum, & Socinianorum.

Solutio 1.

19. Solutio



signis enunciatum quod unum sint; id non intelligitur quod sint una substantia, sed quod sint signum unius substantiæ; veluti si dixerem, *Petra, & Aqua sunt unum*, volens significare in Petra Christum, & in Aqua Spiritum Sanctum, non sequitur petram & aquam unam habere naturam, sed sequitur tantum, quod unam naturam habeant Christus & Spiritus Sanctus, quorum sunt signa. Quod vero Spiritus, Aqua, & Sanguis sint Sacramenta vel signa, ostendit loco nuper laudato S. P. Augustinus; ubi docet spiritum significare Patrem, de quo Joannes cap. iv. *Spiritus est Deus*: Sanguinem significare Filium, de quo Joan. cap. i. *Verbum caro factum est*: & Aquam significare Spiritum Sanctum, de quo idem Joannes cap. vii. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Cum ergo Spiritus, Aqua, & Sanguis sint signa, dum dicitur quod sunt unum, demonstratur duntaxat unitas in substantia Patris, Filii, & Spiritus Sancti, qui per hæc Sacramenta significantur. Contra Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus non sunt signa, non sunt Sacramenta; ideoque dum dicitur quod sunt unum, ipsorum naturæ unitas demonstratur. Lege citato loco Augustinum.

20. Deinde hæc propositio *Unum sunt* proferri potest & de una substantia, & de rebus spectantibus ad unam substantiam. Enunciaretur de una substantia si dicerem E. G. *Pater & Deus unum sunt*: proferretur de rebus spectantibus ad eandem substantiam, si dicerem, *Anima & corpus unum sunt*, scilicet, *unus homo*. Porro Spiritus, Sanguis, & aqua pertinebant ad eandem substantiam Christi, exierunt enim de corpore ipsius;

& consequenter rectissime dictum est quod sunt unum, nempe spectant ad eandem Redemptoris humanitatem. Pater vero, Verbum, & Spiritus Sanctus non ideo dicuntur, *Unum*, quod partes sint ejusdem substantiæ, & licet natura diversi, ad eandem spectent divinitatem; propterea quod divinitas neque partes habet, neque plurium naturarum distinctionem. Dicuntur ergo unum priori sensu, hoc est, unum divinitate ac substantia. Rursus ea verba: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis*, habentur græce καὶ τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα. Omnia sunt generis neutrius, τὸ πνεῦμα, τὸ ὕδωρ, τὸ αἷμα, ideoque dicendum fuisset καὶ τρία μαρτυροῦντα, non vero καὶ τρεῖς μαρτυροῦντες, nisi hæc verba referrentur ad verbum septimum præcedentem ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ. Quare Spiritus, Aqua, & Sanguis dicuntur, *tres, & unum* hoc tantum sensu, quod addant testimonium in terra præter illud Divinum, & cæleste, quod perhibetur à Patre, Filio, ac Spiritu Sancto. Postremo aliquid haberet ponderis hæreticorum cavillatio, si in 7. & 8. versu fieret comparatio inter unitatem, in qua conveniunt οἱ μαρτυροῦντες, testimonia cælestia, atque unitatem, in qua conveniunt Spiritus, Aqua, & Sanguis: at non fit comparatio hæc, sed inter rem, quam testificantur. Cum enim Apostolus agat de fide in Christum, quem verum Deum, ac verum hominem esse credimus, ostendit esse verum & unicum Deum ex testimonio cælesti, verum & unicum hominem, ex testimonio terreno: idque ob hæreses, quæ tunc grassabantur circa Christi Divinam, humanamque naturam.

## CAPUT IV.

Expenduntur hæreticorum objecta ex novo testamento petita.

### SUMMARIUM.

à num. I. usque ad II. seu ultimum exploduntur figmenta hæreticorum.

1. **H**is itaque, aliisque momentis fides individuae Trinitatis adstruitur. Quorum pleraque de Verbi, ac Spiritus Sancti divinitate disputaturi proferemus in medium: nam in præsentiarum antiquorum Sabellianorum, nec non Crellii, Wolzogenii, aliorumque e grege Socinianorum objecta solvenda

sunt, quibus in genere hanc fidem Catholicam quaterere moluntur. Sunt autem istiusmodi.

Opponit 1. Crellius. Joannis xvii. 3. Christus ita Patrem alloquitur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant Te, solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Solus ergo Pater Deus est,

2. Obiectio 1. Crellii.



est, & alia personæ excluduntur à communionem divinitatis. Ea quippe est vis adjectivi huius *Solus*, ut ceteros omnes excludat à participatione rei enuntiatæ, sive, ut inquit, *predicati*: V. G. Si dicas, *Solus Christus est hominum Redemptor*, erit sensus nullum alium Redemptorem hominum esse præter Christum.

3.  
Solutio.

Communis & vera responsio est Patrem dici solum Deum per exclusionem Deorum, quos insana Gentilium superstitione venerabatur, non per exclusionem Filii ac Spiritus Sancti. Observat Petavius lib. de Trinit. III. cap. 1. haberi in Græco τὸ μόνον ἀληθινὸν θεόν, ubi articulus τὸ demonstrat illud μόνον solum copulandum esse cum sequentibus ἀληθινὸν θεόν *Verum Deum*, non cum præcedenti pronomine Σὲ Τε. Ait distare plurimum has duas propositiones, *Pater solus est Deus*, & *Pater est ille solus Deus*, quemadmodum discrepant hæc, *Socrates solus est Philosophus*, & *Socrates est solum Philosophus*. In quarum prima significatur, Socratem Philosophum esse, & nullum alium præter eum esse Philosophum; in altera, Socratis nullam esse scientiam præter Philosophiam. Norunt hæc pueri, qui non ignorant proprietatem vocabulorum, quam dicunt Dialectici *appellationem*.

4.  
Solutio clarior.

Huic responsioni lucem addam ego clariorem, quamquam forte non eget. Sensus horum verborum, *Hæc est vita æterna*, &c. est, Vita æterna comparatur per practicam fidem in unum Deum, & in Filii ejus Incarnationem. Metonymia est enim, quemadmodum in versu 25. cap. XI. *Ego sum resurrectio, & vita*, & in 12. cap. XI. Epist. ad Rom. *Delictum illorum divitiæ sunt mundi*: id est; Ego resurrectionem, & vitam tribuo, & Gentium multitudo, atque opulentia ex delicto, & incredulitate Judæorum profecta est. Describitur itaque cap. XVII. Joannis modus parandæ æternæ vitæ, qui est ejurata Deorum multitudo, unum Deum confiteri, & Christi doctrinam religionemque sectari. Vide Ignatii Martyris Epistolam ad Magneſianos, ubi de Christo ait, τοῖς ἐξοικειωμένοις πολλοῖς θεοῖς τὸ μόνον ἀληθινὸν θεόν καταγγέλλοντα τὸν εἰναι πατέρα: *Qui ad multitudinem impactis Deorum, unum, & solum verum Deum annunciat Patrem suum*. Confer cum Joanne quæ habet Paulus in priori ad Thessalonicenses cap. I. v. 9. *Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conversi estis ad Deum à simulacris, servire Deo vivo, & vero, &*

*expectare Filium ejus de cælis*, &c. ubi vides Deum verum ac viventem appellari per oppositionem, non ad Filium, sed ad simulacra, & idola; quæ nihil sunt aliud, quàm aurum & argentum, opera manuum hominum.

Opponit 2. Apostolus in Epist. I. ad Corinth. cap. VIII. *Nobis*, inquit, *unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Habet similia ad Ephesios cap. IV. 5. *Distinguitur ergo Deus à Domino, & primum nomen soli Patri tribuitur, alterum Filio*.

5.  
Obiectio 2.

Resp. 1. Posse contra adversarios verba Apostolica retorqueri; sicut enim Jesus Christus dicitur unus Dominus sine exclusione Patris; ita Pater dicitur unus Deus absque exclusione Filii. Secundo respondendum est, Patrem dici solum Deum ad exclusionem inanum Deorum: quod liquet ex verbis immediate præcedentibus: *Nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus, &c.* Quo in loco Deum vocari Patrem per oppositionem ad eos, qui εἰσὶ λεγόμενοι οἱ θεοί, nomine tantum, non re, supervacaneum est demonstrare. Ac demum Corinthiis nuper ab idolorum cultu conversis Apostolus altissima Fidei arcana ratus est non statim esse exponenda; unde cap. 3. *Tantum parvulis (inquit) in Christo lac vobis potum dedi, non escam*. Quamquam & præcitata verba obvium habent sensum Christianæ professioni valde consonum, videlicet, *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, primum rerum universarum principium, & divinitatis fons, & origo: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, id est nulli creaturæ subiectus, sed Sapientia Patris, per quem omnia creata sunt, omniaque instaurata*.

Solutio.

Opponit 3. In prima ad Corinthios cap. XII. 4. & seqq. idem Apostolus ait: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: Et divisiones ministrarum sunt, idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt: idem autem Deus*. Ibi tres designantur, & unus tantum, id est Pater, vocatur Deus. Quibus coherent cum Apostolicum Symbolum, tum Nicænum & Constantinopolitanum, quæ solum patrem appellant Deum.

7.  
Solutio.

Resp. Paulum alloqui homines, qui ad Idolorum simulacra proficiscentes dæmonum vaticinia plurimi faciebant. Ait enim v. 2. *Scitis quoniam cum gentes*



res essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes &c. id est spe discendi futura ad idola agebamini, sive ad Deorum vates, quales erant in Templo Pythio, Amphiarai, & Trophonii. Quærere ergo poterant Corinthii duo: primum, cum aliquando contingat, ut futura prædicant tam à Deo afflati, quam à Dæmone, quomodo possimus inter illos discernere. Alterum, cur non omnes prædicendi futura donarentur scientia. Ergo ut priorem solvat dubitationem versu 3. immediate proximo, inquit: *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu: Et nemo potest dicere, Domine Jesu, nisi in Spiritu Sancto.* Docet his Prophetarum oracula in veteri testamento fuisse divino Spiritu afflante, quoniam à Dei cultu homines non abducebant, & nunc pariter verbum ab his narrari, qui non dicunt Anathema, id est, non execrantur Jesu Christi nomen: ipsiusque Evangelium. Ita perspicue primum dubium resolvit. Ut vero solvat alterum, versu 5. ait: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus &c.* id est, non omnibus omnia dantur; sed tamen singula gratiarum dona ex eodem principio ac Spiritu proficiuntur, & ad eundem pertinent Dei cultum; quemadmodum diversi Ministrorum ordines ad unius Domini famulatum, omnesque operationes ad unicam supremam causam sunt referendæ. Quamobrem dividuntur fidelibus charismatum dona, sed ordinantur omnia ad unius Ecclesiæ utilitatem, & unius Dei religionem promovendam, quomodo diversa corporis membra, tametsi eundem actum non habeant, ad unius hominis vitam, & commoditatem: quo exemplo narratis variarum gratiarum officiis eodem loco utitur Apostolus. Atque istam esse germanam huius loci interpretationem constat legenti.

Do tamen, ne quis obganniat, etiam aliorum interpretationem non malam. Dicunt ergo Theologi & Interpretes, Apostolum nomine Spiritus, Domini, ac Dei, vel unum Spiritum Sanctum designare, vel tres personas. Si primum velis; congruit triplex illa appellatio diversis muneribus ejusdem Spiritus; nam charisma proprie respondet Spiritui, ministratio refertur ad Dominum, & operatio ad Dei spectat omnipotentiam. Si autem velis tres ibidem designari personas, dicunt Dei nomen accipiendum esse *ὁμοῦδιος, secundum*

proprietatem principii ac fontis; quo sensu Pater speciali quadam ratione Deus appellatur. Quæ sunt proculdubio verissima; sed, ut arbitror, præcedens responsio propius accedit ad scopum, & sensum Apostoli.

Ex quibus patet quid ad Symbola Fideique formulas sit respondendum. 9. Corollarium. Cum enim hæc primum rudibus & ab idololatria revocatis proponerentur, taliter instituta sunt, ut expresse inanium Deorum superstitionem eliminarent, simulque Catholica religionis contineant arcana. Atque hinc est quod ab eo exordiuntur articulo, *Credo in Deum, &c.* quod, ut scribit Cyrillus Alexandr. lib. de Adorat, in Sp. *Fides Cathecumenorum prima sit, ab opinione multitudinis Deorum removeri.* Sed sublimiori quodam stylo etiam divinitas Filii in Symbolis insinuat sequenti articulo: *Et in Jesum Christum, &c.* quippe, ut scribit Ambros. in Caput 1. ad Galat. *nec minorem Filium significat cum eum Dominum nostrum vocat, nec Patrem majorem quia eum Deum nostrum appellat: quia non erit verus Deus Pater nisi & Dominus sit; neque verus Dominus Filius nisi & Deus sit.* Verum de Filii divinitate suo loco. Consimilia sunt, quæ ex aliis Scripturarum divinarum libris opponunt Sociniani, nimirum ex 1. ad Timoth. 25. ex Epist. ad Romanos 111. 30. & xv. 28. ex cap. v. Joannis 44. ubi unius Dei mentio fit; sed ubique per oppositionem ad Deos Gentium. Quare necesse non est, ut singula proferamus.

Opponit ulterius Joannes Ludovicus Woltzogenius in lib. qui inscribitur Præparatio ad utilem lectionem Sac. literarum cap. xxix. Pontificii, id est, Romanæ Communionis Theologi, etsi Trinitatis defensores acerrimi, tamen veritatis evidentia coacti agnoscunt eam ex Sacris literis probari non posse; sed opus esse recurrere ad Traditiones. Sic enim scribit Dionysius Petavius Jesuita doctissimus in Magno Opere suo de Trinitate lib. 1. cap. 1. §. 3. *De tribus Personis divinitatis, earumque una essentia, ante Nicænum Concilium perfecte sciri, & scribi non potuit, quia mysterium istud post certamen cum Arianis demum Catholicis est revelatum, & confirmatum.* Ita scribit quoque Sacroboscus in Defensione Tridentini Concilii pag. 1. cap. 6. Alius Jesuita Petrus Skarga in illa Christi verba, *Baptizate &c.* ait, quod Apostoli dogma Trinitatis initio reticere soliti erant. Et Bellarminus lib. iv. de Verbo Dei cap. 6. §. Jam vero;

10. Objectiones Woltzogenii.



vero: *Cum è Scriptura*, inquit, *non convincerentur Ariani*, eo *quod easdem Scripturas aliter exponerent, quàm Catholici*, damnati fuerunt ex sermonibus non scriptis, pie tamen intellectis. Idem habet Salmeron Comment. in Joan. xvi. 12. Florimundus in sua Historia de ortu, & progressu hæresum, Hosius, Feuardentius, Gordonus, Gretserus, & alii innumeri. Si ergo tam præclari, & summe docti viri fatentur è Sacris literis non evinci Trinitatem per legitimas, & irrefragabiles consequentias; constat, quod in Sacris literis dogma istud nullum verum habet fundamentum.

II.  
Solutio.

Resp. nego aliquem ex Pontificiis Scriptoribus asserere Trinitatis mysterium non posse ex Sacris literis evidenter probari. Docent quidem præter Scripturas, etiam per Traditionem Trinitatis dogma ad nos fuisse perductum; sed istud ex Scripturis non erui, nullus Romanensium asseruit. Traditio quidem necessaria est, & ad dignoscendum quanam sit vera Scriptura, cum sit Verbum scriptum ex Patrum documentis recipiendum; & ad sensum ejus intelligendum, ubi perobscura est, & eget Judicis vivi declaratione. Hæc docet Petavius cap. 1. de Trinitate; ubi nescio an sint verba citata à Wolzogenio, quæ forsitan me legentem fugerunt. Si ea scripsit alicubi, de verbo *Omouision* Petavius est exponendus, quod certum est Nicænam Synodum consecrassè, & de vocabulis *Ousia*, & *Hypostasis*, de quibus agit. lib. 1. cap. 3. §. 3. At etiam primitus dogma Trinitatis profitebatur Ecclesia, & falsum est Nicænos Patres non pugnassee pro hac fide Scripturis. Audiatur Theodoretus lib. 1. Hist. cap. viii. *Talis fuit Arianorum corrupta sententia. Ibi animadversa fraude, allegarunt Episcopi ex Scriptura resplendentiam, fontem, flumen, characterem ad substantiam, & hoc, In lumine tuo videbimus lumen, Et hoc, Ego & Pater*

*unum sumus, &c.* Docet postea quod struentibus Arianis impietatem vocibus illis DE NIHILO, & FUIT, alienis à Scriptura, Patres usi sunt verbo *Consubstantialis* ex priscorum Traditione. Nec aliter docent Sacroboscus, & Salmeron. Quamquam, etsi Patres ex sola Traditione damnassee Arium, esset judicium eorum irrefragabile, cum & Verbum traditum sit ad faciendam fidem aptissimum. Bellarminus autem falso citatur à Wolzogenio; ait enim: *Et si quædam Scriptura poterant adferri contra Arianos, tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas; ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium eundem condemnarunt.* Non ait, non posse Arianos convinci Scripturis, minime: sed ait, cum multa sint Scripturæ, quæ videntur facere Christum minorem Patre, satius judicarunt Nicæni Antislites Arianos his Scripturis abutentes ex Verbo traditio condemnare. Verum tamen est, Bellarminum testem advocare Theodoretum loco citato, ubi docet Patres adversus Arianos certasse quoque Scripturis, & vocabulum *Omouision* propter Patrum priscorum auctoritatem consecrassè. Petrus Skarga scripsit Apostolos statim non aperuisse Neophytis Trinitatis arcanum, sed initio Deum unicum prædicasse, ut fecit Paulus Athenis in Areopago. Ex quibus non sequitur, aut non annunciassee Trinitatem, aut hanc ex Scripturis non demonstrari. Hosius, Feuardentius, Gordonus Huntlaus in locis citatis à Wolzogenio inquirunt duntaxat, non omnia scitu necessaria ex sola Scriptura probari, neque Apostolicas rejiciendas esse traditiones: quod nos etiam opportuniore loco docebimus. Non tamen negandum est Scriptoribus istis, præsertim Petavio, aliqua verba nimis dura excidisse; sed & Petavium ex Verbo Dei scripto Trinitatem demonstrare constat legenti librum 11. cap. vii. & sequentibus.

## CAPUT V.

Traditione Patrum divinarum Personarum numerus comprobatur.

### SUMMARIUM.

1. & 2. Afferuntur SS. Patrum testimonia pro D. Personarum Trinitate.
3. Occurritur alicui objectioni.
4. Traditur monitum salutare circa abstin-

- tiam à citandis scriptis vere, non saltem dubiè apocryphis.
5. 6. 7. & 8. Recensentur plura ejusmodi scripta.

PAU-



Numerus D.  
Personarum  
ex Traditio-  
ne Patrum.

Probatio 1.

**P**AUCIS me expediam; nam veteres Patres Trinitatem agnovisse videntur fateri recentiores hæretici; qui ut tantum à se veritatis præsidium amoveant, ajunt impudenter, nimium Platoniorum placitis Scriptores sæculorum priorum fuisse addictos; atque majori ex parte hæresi proximos Ariarum. Quod quanta injuria ac falsitate dictum sit, alter liber monstrabit.

Patentur ergo plures in Deo esse personas Clemens in Epistola ad Corinthios, quam genuinam esse constat ex Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, Eusebio, & Hieronymo, qui illam citant. Ex qua D. Basilus cap. 29. de Sp. Sancto producit apertissimum illud testimonium: *Vivit Deus, & Dominus Jesus Christus, & Spiritus Sanctus.* Meminit Trinitatis & Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone habito circa annum 140. in quo præter Deum Patrem scribit esse *Filium, virtutem Dei, ac Deum, non ut solis lux vocabulo nominatur, sed numero alterum.* Athanasiorum, qui floruit circa annum 166. in Apologia hoc eodem anno, ut Pagi observat, exhibita M. Aurelio, & Lucio Vero, cap. ix. sententia est: *Christianos concipere etiam Filium Dei, nec esse cur quisquam ridiculum putaret Deo esse Filium; cum Pater, & Filius unum sint, sitque Filius in Patre, & Pater in Filio unitate, & potentia Spiritus.* Irenæus lib. v. adversus hæreses cap. 6. ait, *Patrem vere Dominum, & Filium vere Dominum esse.* Floruit autem Irenæus circa annum 180. de quo plura apud Massuetum dissert. 3. art. 5. Lege & libri iv. caput 7. Dionysius Romanus circa annum 272. martyrio coronatus in celebri contra Sabellianos Epistola disertissime Trinitatem prædicat. Idem præstat Tertullianus, qui ad Fidem Christianam conversus est juxta Pamelium anno 196. Is in libro contra Praxeam tam aperte Trinitatem defendit, ut Joanni Clerico in Hist. Eccl. sæc. 2. Ann. 186. num. 4. videatur tres Divinas admisisse substantias. Nam cap. 11. ait: *Tres autem non statu, sed gradu, non substantia sed forma, unius autem substantia, & unius status, & unius potestatis; qua unus Deus, ex quo & gradus isti, & forma, & species, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* Sed de Tertulliani fide alibi. Nam modo sat est vidisse in eo Sacrosanctæ Trinitatis Confessionem. De Patribus vero tam Græcis, quam Latinis, qui post III. floruerunt sæculum nulla exoritur dubitatio. Vide, si plura

R. P. Berti Theol. Tom. II.

peroptas, Basilium Magnum in Exercit. Monast. Cyrillum Hierosolymitanum Catech. xvi. Gregorium Nazianz. Orat. 13. 29. 32. Epiphanium hæresi 56. & 62. Joannem Chrysost. Hom. 11. in Marcum, Theodoretum quæst. 20. in Genes. Quid singulos censeo? Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, divinarum librorum veterum & novorum Catholicorum Tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unius, ejusdemque substantia inseparabili æqualitate Divinam insinuant unitatem; ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus; quamvis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non sit, qui Pater est: Filius à Patre sit genitus & ideo non sit Pater qui Filius est: Spiritusque Sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris & Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipse coequalis, & ad Trinitatis pertinens unitatem. S. P. Aug. lib. 1. de Trinit. Cap. 1v.

Hujus perpetuæ Traditionis testes hanc locupletissimos Patres omnes Concilii Nicæni celebrati anno 325. Constantinopolitani an. 553. Toletani 1. anno 400. Arelatensis 4. an. 830. Lateranensis an. 1215. Tridentini an. 1545. &c. Romanos quoque Pontifices, ac præsertim Dionysium apud Athanasium in Epist. de Synodo Nicæna, Hormisdam Epist. 76. ad Justinum, Gregorium Magnum in Symb. Agathonem in Epist. ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium Augustos, Leonem IX. ad Episcopum Antiochenum, Innoc. III. lib. 4. de Myst. Mystæ cap. 11. &c. Imperatores etiam invictissimos atque Augustissimos, Justinianum in Conf. Fidei, Basilium Macedonem in Exhortatione ad Leonem Filium suum, Leonem Philosophum in Epist. ad Regem Omarum, Carolum Magnum ad Toletanum Episcopum Elipandum, &c. Theologos denique, & Catholicos universos.

Neque est quod adversus hanc perpetuam Ecclesiæ traditionem dicas, Gentiles nunquam Catholicis objecisse pluralitatem Deorum, aut absurda, quæ ex hoc Fidei mysterio consequi videntur. Enimvero neque omnes Gentilium libros extare credendum est, neque primos Catholicos fidei capita, cujusmodi est Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, irrisoribus Ethnicis revelasse. Quamquam hi Christianos redargebant, quod Christum tanquam Dei filium haberent; ut liquet ex prima S. Justinii Apologia: imo revera Praxeas & Cel-

2.

Probatio 2.

3.

Instantia  
cum ejus so-  
lutione.

D



sus data opera conabantur ostendere, à Catholicis pluralitatem teneri Deorum; quos Tertullianus, & Origenes confutarunt. At lege Jueninum in Comment. de Sacramentis pag. 286.

4. **Cautella.** Quoniam vero plurimi, ut faciant nubem testium ampliorem supposititia Veterum scripta pro Sanctæ Triados fide commendant, & hæretici homines imperitiam nostram ridere solent; monitos juniores vellem, ut à citandis apocryphis dubiisque sedulo abstineant, nec morem gerant simplicioribus Scholasticis: quorum aliqui probare nituntur Trinitatem ex lib. vi. cap. ii. & lib. viii. cap. 15. Constitutionum Apostolicarum, quæ sub Clementis Romani nomine circumferuntur. At has suppositas censent complures Critici. Tribuunt enim (inquiunt) Apostolis, quæ profecto inferioribus evenerunt temporibus, ordinationes Diaconissarum, permultasque liturgias prorsus ignotas Apostolorum ætati. Scitent quoque pluribus absurdis, & anacronismis, quum doceant mulierum, non virorum barbam esse tondendam, quartas nuptias manifestam esse libidinem, septem Diaconos positos ante Paulum ab ipso benedicendos; cum Paulus ante Stephani mortem, & Diaconorum institutionem, imo ante annum Christianæ Aetæ xxxi. blasphemus fuerit & persecutor. Quare hi libri, plurimorum sententia, vel sunt Clementi abjudicandi, aut certe enormiter ab hæreticis depravati.

5. **Probatio 3.** Afferunt quoque nonnulli Dionysii Areopagitæ textus apertissimos ex cap. i. de Divinis Nominibus, & de Mystica Theologia cap. 3. Quos libros esse Areopagitæ multi quidem defendunt, & Sacra Parisiensis Facultas an. 1527. Erasmus negantem censura virga notavit. Quidquid sit, certe non desunt, qui hac præsertim ætate judicent illos apocryphos. Habent vero & suæ opinionis argumenta, ut quod inscribantur Timotheo, & tamen Ignatii Martyris laudent Epistolam; cum Ignatius scripserit Timotheo jam vita functo. Tum quod Auctor scribat se interfuisse morti Deiparæ assumptæ, ut traditur, anno post Filii ascensionem quintodecimo, & longe ante conversionem Dionysii, qui Christo nomen dedit anno tantum decimo septimo, quo Paulus Athenas apulit. Addunt citari in his libris Ignatii Epistolam ad Romanos conscriptam post Dionysii Martyrium; nam Ignatius passus est Imperante Trajano anno cxvi. A. D. xx. Decembris, & Dionysius sub Domitiano anno xcvi. ministrorum con-

spiratione trucidato. His ergo dubiis incertisque fides niti non debet Catholica: quamquam, ut dixi, sunt, qui libros Dionysii genuinos esse defendunt, eumque martyrio coronatum sub Adriano: inter quos Natalis Alexander Dissert. xxii. Sæculi i. & Annatus lib. iv. art. viii. sed negant Launojus, Morinus, Dupinius, alique quamplurimi.

Citat quoque in Thesauri Jodocus Coccius Epistolam Prochori, sive Historiam S. Joannis, quam fabulosam & apocrypham, & indignam quæ nomen præferat unius ex septem primis Diaconis censent Baronius, Bellarminus, Natalis Alex. Dupin, & quotquot de Ecclesiasticis Scriptoris accurate pertractarunt. Et quidem liber fabulis nugisque refertus est, præsertim ubi narrat Sanctum Joannem coram Apostolis procidisse, ne proficisceretur in Asiam; & in insula Pathmos non Apocalypsin, sed Evangelium scripsisse. Observarunt præterea docti viri stylium sapere posteriorem ætatem; cum in explicanda Trinitate adhibeat vocabula post exortas Sabellianam, atque Arianam hæresim usurpata. Fabulam quoque putant, quod ii. cap. narratur, fideles Joanni statim, ac ex dolio ferventis olei exivit illatus, Templum ante portam Latinam ædificasse, quod neque Apostoli permisisset humilitas, neque superstitiosa Romani Senatus, populique religio.

7. **Probatio 5.** Accedit Hermæ, seu Pastoris liber scriptus circa annum lxi. in quo expresse traditur divinitas Filii; appellatur namque Deus antiquior omni creatura, & Divinum Consilium ad conditionem, & productionem universorum. Extant ibi etiam Spiritus Sancti apertissimæ notæ divinitatis. Nonnulli hunc librum *Scripturæ* nomine cohonestarunt, ut Irenæus lib. iv. cap. 3. Origenes hom. i. in Ps. 37. & pluribus aliis in locis. Athanasius vero lib. de Decretis Nicænæ Synodi ait in Canone Scripturarum Sanctarum desiderari. Rejiciunt tamen Eusebius lib. 3. cap. 25. Rufinus in Symbolo, Prosper cap. 30. contra Collatorem, Gelasius Papa in Decreto de Scripturis Canonicis, Tridentina Synodus, & universalis Ecclesia. Licet tamen non sit in Canone receptus, fatentur omnes esse librum optimæ notæ, & quamlibet demum subierit sortem, stylo simplicissimum Ecclesiæ perutilem, & sæculorum omnium approbatione celeberrimum. Videantur testimonia à Cotelerio hujus Operis editioni præmissa. Is ergo liber poterit tanquam specimen antiquæ



quæ doctrinæ, non tanquam Divinus, & Canonicus commendari. Sed quoniam sunt, qui hujus libri Visiones, quæ præcipuam occupant partem, putant pias fraudes à prudentioribus spernendas; & perierunt insuper Græca exemplaria, si excipias fragmenta quædam à Veteribus collecta; nescio quo loco Hermam habituri sint Unitarii.

8.  
Confirmatio  
ulterior.

Hi sunt ergo antiqui Patres, quorum auctoritatem plures pro Fide Trinitatis producant. Quibus connumerandus venit Sanctus Zeno Episcopus Veronensis. Huic plures attribuuntur Conciones editæ à Guarino an. 1508. & postea Bibliotheca Patrum insertæ. Non sunt tamen genuinus Zenonis fœtus; primo, quoniam is martyrium passus est sub Gallieni imperio, sive, ut aliquibus placet, sub Juliano Apostata, & nihilominus Concione v. perstringit data opera hæresim Arianam longa post tempora exortam, si tamen sub Gallieno occubuit, ut sententia fert probalior. Deinde in Concione de Continentia

enumerat plusquam quadringentos annos, ex quo Paulus suam ad Romanos dedit Epistolam; & consequenter quinto tantum Ecclesiæ sæculo floruit harum Concionum Collector. Denique observatum est à viris doctis Conciones istas ex variis depromptas esse Auctoribus: nam quatuor integræ sunt Basilii, plures Hilarii, nonnullæ desumptæ absque delectu ex Græcis, Latinisque Scriptoribus. Quapropter non sunt beati Zenonis scripta pro certissimo antiquitatis monumento proferenda. Sunt ergo Theologis, dum à Traditione petunt argumenta, Opera supposita & spuria à legitimis secernenda: & ubi lapsi sunt Scholastici, ne horum lectione decipiantur Tyrones, jure illos commonefacio. Quamquam etiam apocryphi libri, si tamen antiqui sint, nec interpolati probentur, produci possunt ad demonstrandam Traditionem, quæ vigeat in Ecclesia eo tempore, quo fuerunt conscripti, non ita tamen, ut à Patribus, quorum nomen præseferunt, accipere videantur auctoritatem.

## CAPUT VI.

Denegandum non esse Trinitatis Mysterium, quod illud humana ratio capere nequeat; nec dogma Catholicorum seipsum evertere.

### SUMMARIUM.

1. Argumentum hæreticorum.

2. Solutio ejusdem.

à n. 3. usque ad n. 27. proponitur altercatio

Sociniani, & Catholici, ubi ultimus per contrariorum solutionem plenam obtinet victoriam.

1.  
Objectiones  
Hæretico-  
rum circa  
Trinitatis  
Mysterium.

Obiectio 1.  
humana ra-  
tio illud ca-  
pere non  
potest.

JAM nos hæretici ad humanam provocant philosophiam. Opponunt primo credendum non esse quidquid in animo parit dubitationem, nec ullum esse tam sublime mysterium, ut ab ejus scrutatione ac probatione sit abhorrendum. Quod inferunt primo ex Apostolo I. ad Thessalonic. v. 21. ubi monet ut probemus omnia, & quod bonum est retineamus. Ad hæc, inquit, modum indagandi veritatem dogmatis alicujus esse solam Scripturam, ad quam, velut ad Lydium lapidem religionis exigenda sunt controversiæ: neque ad Christianam fidem pertinere, quidquid humana ratione non constat in Sacro textu aut expressis literis contineri, aut hinc deduci per legitimam consequentiam. Addunt hanc vocem *Mysterii* inani terculamento rude & inconditum vulgus absterre ne persequatur veritatem. De unaquaque, quæ cadit sub examen, duo quæri, An sit, & Quo-

R. P. Berti Theol. Tom. II.

modo sit; & res esse innumeras, de quibus sciri potest, & re ipsa constat vere existere, licet quomodo sint humanam fugiat scientiam. Has duas quæstiones, perinde ac in aliis rebus, in dogmate occurrere Trinitatis. Mysterium, inquit, est quando ignoratur: sed non est ulla ratione prohibendum, ne inquiratur, an sit? Hæc quæstio est solidis & irrefragabilibus argumentis resolvenda, & objectiones justis & idoneis rationibus sunt refellendæ, ut quisque erudiat in fide; neque Religionis capita simpliciter, & absque probatione debent obtrudi. Si ergo ratione non constat esse Trinitatem, non est credenda.

Resp. non esse quidem cæco modo credendum quidquid nobis proponitur; esse tamen, ubi constat de veritate revelationis, sive in sacris expressæ literis, sive per manus traditæ, rationem fidei subjiciendam: neque temere ser-

2.  
Solutio.

D 2

tandas



tandas rerum divinarum causas, quæ mentis nostræ conatum superexcedunt. Quod monet Apostolus in 2. ad Corinth. x. 5. dum hortatur, ut simus *in captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Salubriter vero idem Apostolus præcipit, ut omnia probantes teneamus quod bonum, & verum est, scilicet, ne credamus cuicque spiritui, atque ne iis assentiamur, qui se Prophetas dicunt, docentes falsas doctrinas: ut etiam ait in 1. Epist. cap. 4. Joannes, scribens: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi Pseudopropheta exierunt in mundum*. Demus quæso, solam Scripturam esse Lydium lapidem, normamque unicam pro controversiis fidei dirimendis, (quod constantissime falsum esse contendimus); quare nos Sociniani philosophicis argumentis aggrediuntur? quare Fidei capita denegant, quod videantur humanam superare rationem? Teneamus hanc regulam; & Scripturis Deum unicum annuntiantibus, & Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum prædicantibus captivetur infirmæ mentis obsequium. Nam quod verbis literarum Sanctarum inextricabiles neantur cavillationes, facit ingenio nostri audacia. Aut Scripturam insinuare manifesto Trinitatem putandum est, aut subobscuris vocabulis. Si manifesto, quid certamus syllogismis? si obscuritate aliqua terminorum, cur mysteria volumus ratione comprehendere? At hoc Trinitatis arcanum clarissime in novo præsertim Testamento revelatum, firmissima confessione conclamamus. Quod si proponeretur obscurius, hic æque ac in aliis, non ad humanæ rationis recurrendum esset iudicium, sed ad magistræ veritatis Ecclesiæ: alias si humanè pensanda sunt omnia, neque erit Divina revelatio prima ratio credendi, neque Fides, quæ vincit mundum, Græcorum sublimior philosophia. Interim quomodo hæretici indagandi veritatem modum teneant, videant ipsi. Duo illa quæstionum genera, an sit, & quomodo sit res aliqua, & nos distinguimus: sed quando de prima certi sumus, negamus ratione esse alteram investigandam. Si enim de rebus ante oculos positis sæpe numero nequimus reddere causam, & in explicanda E. G. motus & extensionis natura tantæ occurrunt difficultates; quantæ insurgant necesse est Divina rimantibus? Dicant Unitarii, qui Deum in remotissima, cæli parte putant abscondi, & fatentur omniscium, quo-

modo de tam loquax intimas scrutetur cogitationes? Exponant quomodo animal ab animali generetur, & ingens è minutissimo semine crescat arbor? Narrent nobis conceptionis Virginis arcanum, resurrectionis modum, mundi productionem ex nihilo. Si hæc omnia se nescire scribunt Sociniani in altero Tomo Wolzogenii pag. 310. quare ergo ea credunt, si moni in altero Tomo Wolzogenii pag. 310. quare ergo ea credunt, si modum ignorant? Credimus, inquit, quia certi sumus de priori quæstione, etiamsi non capiatur secunda. Et nos credimus Trinitatem, quoniam certi sumus existere, quæ est prima quæstio; tamen non percipimus quomodo consistat unitas substantiæ cum pluralitate personæ, quæ est quæstio altera. At inquit hæreticus, non est ergo Trinitas mysterium, nisi eo pacto, quo mysteria sunt res innumerales quæ sunt in mundo, quarum novimus existentiam, sed modum nescimus? Etiam, mi Sophista; nam harum rerum existentiam scimus naturaliter vel sensu, vel discursu; sed existere in divinitate tres personas nequaquam naturaliter notum est; sed supernaturali revelatione. Atque in hoc sita est natura mysterii, quod nec etiam priorem quæstionem, An sit, quisquam sciret, nisi Deus revelasset. Potius, inquis, culpandi erunt defensores Trinitatis, qui non modo docent Deum unum, & Trinum esse, verum etiam modum, quo id fiat, in specie determinant, nimirum Patrem generare & concipere Filium contemplando seipsum, & ab utriusque voluntate æternam manare Spiritum Sancti processionem. Verum neque omnes Theologi id statuunt ac definiunt, quibus & nos consentimus: & si plurimi discrimen illud probant generationis, & processionis, ducuntur argumentis, quæ suppeditare videtur ratio imaginis, & amoris, quam in Deo reperiri non decernunt ipsi aucter, sed à Deo revelante acceperunt. Quid ergo? credimus absque ratione? Minime; quoniam ratio ipsa suadet, Divina esse intellectu nostro sublimiora, & non Fidem rationi, sed rationem Fidei esse accommodandam. Attamen, cum ea, quæ evertunt sese, falsa sint; nec possint consequenter à Deo revelari; videamus oportet quomodo probent Adversarii Trinitatem esse philosophiæ ac rationi contrariam: siquidem rationem omnem naturalem excedere ultro concedimus.

ALTER-



3.  
Altercatio  
Sociniani  
Dogma Tri-  
nitatis sei-  
psum ever-  
tere.

4.  
Solutio Ca-  
tholici.

quæ illatio & vera est, & legitima. Neque valet paritas de trina personalitate; quandoquidem alterum Sophistica pari ratione exponendum est: Pater est Persona, id est Divina substantia non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Paternitas*, Filius est persona, id est Divina substantia, non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Filiius*, Spiritus Sanctus est persona, id est Divina substantia non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Spiratio passiva*: Ergo sunt tres modi existendi in una eademque substantia. Quæ pariter consequentia vera est & Catholica. Ex quibus sequitur falsum esse eadem ratione numerari Deum in priori syllogismo, & numerari Personam in altero; quoniam Deus numerari non potest ratione naturæ, quæ una est, sed ratione duntaxat modi existendi, qui triplex est. Provenit id ex conditione naturæ, ac personæ: quippe natura, quæ dicitur absolute, dividitur tantummodo propter limitationem ac finitatem, ideoque natura infinita dividi nequit, aut numerari. At persona dividitur & numeratur propter relationem ad aliam, quam necessario connotat. Enimvero numerus & distinctio sive ex limitatione, sive ex ordine ad aliud, necesse est oriat. Quare natura infinita numerari non potest, etiamsi numerari possint Personæ. Neque urget paritas ex numero Angelorum, vel hominum; quum in his multiplicetur natura ob priorem causam distinctionis, videlicet propter limitationem. Si enim natura humana, vel Angelica foret infinita, Petrus, Paulus, Joannes non essent tres homines, sed unus homo; & Michael, Gabriel, Raphael non essent tres Angeli, sed unus Angelus.

SOCIN. Quod dogma Trinitatis seipsum perimat, est, quia ex eo sequitur unam Personam esse aliam, nempe Patrem esse Filium, & Spiritum Sanctum, & rursus Filium esse Patrem & Spiritum Sanctum; denique Spiritum Sanctum esse Patrem & Filium. Ita enim argumentari licet: Deus ille unus est Pater, Filius est Deus ille unus: Ergo Filius est Pater. Major propositio extat in Scriptura. Assumptio est Adversariorum sententia consentanea, Conclusionem ergo negare non possunt. Similiter etiam de Spiritu Sancto concludi potest: Unus ille Deus est Pater, Spiritus Sanctus est ille unus Deus, Ergo Spiritus Sanctus est Pater. item: Unus ille Deus est Filius, Spiritus Sanctus est

D 3                  unus

5.  
Objectio 2  
Sociniani



unus ille Deus. Ergo Spiritus Sanctus est Filius. Atque hæ collectiones aliter solvi nequeunt, nisi dicatur alium Deum esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum, adeoque tres distinctos Deos esse.

6.  
Solutio Catholici.

CATH. Dicimus primo consecutiones illas si spectentur regulæ syllogismorum, quas Adversarii tanto rigore servare conantur, falsas esse, & collectiones horum argumentorum peccare, ut inquit, in forma. Quotiescunque enim præmissæ particulares sunt, ut in adductis syllogismis, argumentatio vitiosa est, & nihil concluditur, veluti si dicas, Petrus est homo, Paulus est homo, Ergo Petrus est Paulus. Secundo respondeo ut supra, Deus ille unus est Pater, si *Deus* accipitur pro summa perfectissimæque natura, ut à Paternitate contrahitur ad unum modum existendi, concedo: si sumatur quatenus complectitur omnes existentie sue modos, nego. Hoc enim sensu Pater non est ille unus Deus, nisi simul comprehendantur Filius, & Spiritus Sanctus: sed ex adverso argumentari fas est: Deus ille unus est Pater, prout Deus est Divina substantia existens in supposito Patris, Filius non est Deus ille unus, prout Deus est Divina substantia existens supposito Patris, Ergo Filius non est Pater. Atque idem de reliquis dicendum est. Igitur ut collectiones prædictæ solvantur, sat est quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in eadem simplicissima divinitate diversam habeant subsistendi rationem.

7.  
Obiectio 3.  
Sociniani.

SOCIN. Sequitur ex hac de Trinitate sententia, neque Patrem, neque Filium, neque Spiritum Sanctum esse unum illum verum Deum. Sic enim potest concludi: Unus ille verus Deus est Pater: Filius non est Pater, Ergo Filius non est Deus ille unus. Item: Unus ille verus Deus est Filius, Pater non est Filius. Ergo Pater non est ille verus Deus. Priorem conclusionem Trinitarii non admittent: posteriorem nullius Christiani hominis aures ferent.

8.  
Solutio Catholici.

CATH. Eodem modo distingo majorem: Unus ille verus Deus est Pater, quatenus Dei nomen importat Divinam substantiam, & unum duntaxat modum existendi, concedo: prout Dei nomen cum naturam, tum modum omnem, quo subsistit, complectitur, nego. Et dico probari tantum argumentatione præcedenti, Filium non esse illum summum Deum, prout concipitur divinitas unica hypostasi terminata. Ita

enim valet ratiocinatio: Unus ille verus Deus est Pater, in quantum cum Deitate intelligitur relatio ad Filium, sine qua non est Pater: Filius ab ipso Patre distinguitur à Deitate, quatenus hæc solummodo accipitur, prout refertur ad Filium. At Deitas sumpta duntaxat prout refertur ad Filium, non est natura, sed persona, quoniam sola persona dicitur relative: Ergo Filius distinguitur à Persona Divina Patris, non à substantia, & natura divinitatis.

9.  
Obiectio 4.  
Sociniani.

SOCIN. Ex dogmate Trinitatis sequitur quamlibet personam esse Trinam in personis. Ita enim argumentabor: Deus ille unus est Trinus in Personis: Quælibet persona divina est Deus ille unus. Ergo quælibet persona divina est tria in personis. Hanc conclusionem ipsi Trinitarii falsam esse agnoscunt; necesse igitur est vel majorem, vel minorem propositionem falsam esse.

10.  
Solutio Catholici.

CATH. Nego sequelam. Et ad probationem dist. majorem, ut supra: Deus ille unus est Trinus in personis, si Deus ille unus accipitur adæquate, & prout omnem existendi modum complectitur, sive tam secundum id, quod dicit absolute quam secundum id, quod dicit connotative, concedo. Deus ille unus est Trinus in personis, si sumatur inadæquate, & prout divinitas ad unum subsistendi modum determinata est; seu secundum id, quod dicit absolute, at non secundum omne id quod importat connotative, nego majorem propositionem.

11.  
Obiectio 5.  
Sociniani.

SOCIN. Quæ sunt eadem realiter uni alicui rei, etiam inter se realiter sunt eadem. Atqui tres illæ personæ divinæ realiter inter se distinctæ realiter sunt idem uni cuiuspiam rei, nempe essentie divinæ. Ergo personæ illæ tres realiter inter se distinctæ, inter se realiter sunt eadem. Conclusio est falsissima, & sibi manifeste contradicit. Itaque oportet præmissarum aliquam falsam esse. At prima præmissarum, seu major propositio in dubium vocari non potest, quia omnibus noto nititur principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, inter se sunt eadem.* Hinc ipsi Trinitarii hoc principio alibi utuntur, cum probari solent, attributa Divina non distingui realiter inter se, sed esse eadem, quia cum uno tertio, nempe cum Divina essentia sunt eadem. Quare necesse est alteram præmissarum, seu minorem propositionem, quæ sententiam Trinitariorum continet, falsam esse.

12.  
Solutio Catholici.

CATH. Nego majorem; ad probationem



nem dico prædictum axioma (licet applicari non debeat rebus divinis, quemadmodum, nec aliud, *Ex nihilo nihil fit*), nihil posse juvare Socinianos. Primo quia valet quidem in iis, quæ convertuntur ad invicem, at non in iis, quæ important oppositionem vel relationem. Nam rationale & irrationale idem sunt cum animali, quum gradus, quos dicunt Metaphysicos, sola distinguantur ratione, & tamen rationale & irrationale, eo quod sunt differentia opposita ejusdem generis, realiter inter se distinguuntur. Cum ergo Divinæ personæ important vicissim oppositionem, & relationem, quamquam idem sunt cum essentia, non poterunt idem esse inter se. Deinde quotiescunque plura sunt idem secundum essentiam, sed necessario aliquem connotant terminum, non sequitur: Hi termini idem sunt cum essentia, Ergo idem sunt inter se. Etenim actio & passio sunt idem realiter cum motu, & spectata sola motus essentia sunt idem inter se: sed quoniam actio connotat agentem, & passio passum; si actio & passio non essentialiter accipiantur, sed ratione terminorum quos connotant, debent inter se realem dicere distinctionem. Similiter Paternitas & Filiatio sunt idem cum essentia, & quatenus accipiuntur substantialiter, sunt idem inter se: at cum Paternitas, & Filiatio dicantur ad aliud, & connotent terminum diversum, sumptæ personaliter, connotative & relative, realiter distinguuntur, salvo quoque axioma philosophico, quod tamen non cogimur in divinis admittere. Nec ratio est eadem de attributis, quæ sunt eadem inter se, propterea quod cum sint absoluta, non possunt aliqua opposita relatione distingui. Solent autem respondere Theologi dist. ma. Quæ sunt eadem realiter uni alicui incommunicabili, sunt eadem inter se, conc. quæ sunt eadem uni alicui communicabili, nego. Hæc responsio communis est; sed cum remaneat difficultas, quomodo fieri possit, ut tertium aliquid communicetur pluribus, nec tamen hæc plura communicentur sibi invicem; & querantur Sociniani nos petere ubique principium, etiamsi falsum sit; responsum primam teneto.

13.  
Objectio 6.  
Sociniani.

Socin. Sequitur ex dogmate Trinitatis, quod in Deo simul una, & tres substantiæ forent. Unam esse Dei unius substantiam extra controversiam est: tres autem simul esse substantias in Deo inde colligitur; quia tres sint distinctæ

in eo personæ, id est substantiæ intelligentes.

CATH. Resp. in Deo unicam esse substantiam, quatenus substantiæ nomen significat id, quod per se existit, neque indiget aliquo subjecto vel sustentaculo: esse tres substantias, prout nomen substantiæ apud quosdam veteres significat substantiam, scilicet rationem existendi incommunicabilem alteri. Verum hoc nomen *Substantia* jam ab omnibus in priori sensu tantum accipitur. Vide cap. ultimum hujus libri.

Solutio  
Catholici.

Socin. Videmus in rebus creatis unius substantiæ intelligentis unam tantum esse personam. Monstratur vel unicum exemplum, sive hominis, sive angeli, qui non sit una persona, sed plures. Cum ergo Deus quoque una sit substantia intelligens, necessario sequitur, eum non tres personas, sed unam tantum personam esse. Hic vero objicitur ab adversariis, aliam esse rationem Dei, & rerum creatarum. Cur verò? Quia, inquit, tres creatæ sunt finitæ: increata autem Dei essentia est infinita. Verum hæc differentia inter finitum & infinitum nullum habet momentum. Tum enim demum momentum aliquid habitura esset, si persona increata non æque infinita foret, atque essentia, seu substantia, in qua subsistere creditur. Nunc cum aliter res se habeat, eadem ratio hic est finitæ, & infinitæ personæ, manetque tam creatam, quam increatam substantiam non posse esse plures personas. Cur enim finita substantia nonnisi unam personam constituere potest? nempe quia persona, aut suppositum totam in se substantiam complectitur, nec potest eadem substantia eodem tempore secundum idem bis esse idem; ac porro nec bis esse suppositum, bis persona. At eadem ratio est etiam in Divina substantia. Siquidem persona qualibet Divina totam Divinam substantiam amplectitur, nec partem aliquam sibi tantum decerpit, aut decerpere potest, nisi persona ac suppositum esse desinat. Quare non magis substantia infinita potest plura in se habere supposita, aut personas, quam finita: quia alioqui pluries quam semel infinita foret, toties nimirum, quot personæ sunt. Quo accedit, quod si ideo Divina substantia plures personas contineret, quia infinita est, sequatur etiam infinitas personas esse posse. Nam ob quam causam tres personæ statuuntur esse in una Dei substantia, ob eandem possunt etiam quindecim, imo centum, quin & infinitæ personæ statui.

14.  
Objectio 7.  
Sociniani.

CATH.







personæ erunt tres substantiæ, vel essentia. Ad hæc, persona non est pars aut membrum rei ullius, sed est res ipsa perfecta, completa, & per se subsistens, ideoque habet suam propriam singularem essentiam. Quod enim caret propria & peculiari essentia, id vel nihil est, vel pars tantum, vel accidens aliquod alterius rei, ut exempli gratia, manus, aut pes, aut longitudo hominis. Cum ergo Trinitarii affirmant in Deo esse tres distinctas personas, quarum qualibet non partem, sed integram essentiam habet, revera essentiam Dei multiplicat, & trinam faciunt. Rursus ubicunque multiplicatur subiecta, multiplicatur etiam quæcunque de illis dicuntur; nam quot sunt homines, tot sunt corpora, tot animæ, tot substantiæ, & quot sunt angeli tot sunt spiritus, &c. Igitur multiplicatis personis, debet etiam multiplicari essentia. Corruit ergo fulcrum Trinitatis primum.

19.  
Confirmatur.

Altera basis Trinitatis est, quod commentum sunt Trinitarii in eadem essentia triplicem modum existendi, ineptum supra quam dici potest effugium. Nam I. Si una res pluribus modis uno tempore existeret, non esset una, sed multæ, tot nimirum quod sunt vices, vel modi, quibus existit. II. Commentum hoc tam simile est opinioni Sabellii, quam ovum ovo. Ille enim sensit Deum summum esse unam solummodo personam, quæ se tribus modis revelarit, semel tanquam Patrem, secundo tanquam Filium, tertio tanquam Spiritum Sanctum. III. Deus altissimus propter infinitatem essentia suæ unam habet essentiam, ergo unum existendi modum; cum per unum existendi modum haberi possit quicquid ad summam perfectionem ejus requiritur.

20.  
Confirmatur.

Tertium doctrinæ de Trinitate fundamentum est *περὶ ἐξουσίας*, id est, mutua personarum circumincessio, seu immanencia, & unius personæ existentia in altera, & vicissim hujus in illa; quomodo vero homo rationalis, qui non fungum pro corde gerit, se ex isto labyrintho expediet? Primum enim difficile intellectu est, quomodo fiat hæc mirabilis personarum immanencia. Secundo qui fieri potest, ut tres personæ permixtæ sint, & habeant eandem essentiam, neque inter se confundantur? Tertio si in qualibet Persona est tota Trinitas, erunt tres Trinitates, una in Patre, altera in Filio, tertia in Spiritu Sancto, sicque erunt novem personæ  
R. P. Berti Theol. Tom. II.

Deitatis: quod si rursus istæ novem personæ sibi mutuo inexistant, tum erunt novies novem, id est octoginta & una. Quarto si qualibet persona est in tota Trinitate, sequitur Patrem esse in Patre, Filium in Filio, &c. quæ locutio quid significet nemo intelligit. Quinto si verum est Spiritum Sanctum apud Jordanem apparuisse, & secundam personam humanam assumpsisse naturam, cum Pater in cælo remanserit, necessario personæ à se invicem digressæ, ac sejunctæ fuerunt.

Quantum hujus doctrinæ stabilimentum est duplex acceptio nominis *Dei*, essentialiter, & personaliter. At hujus distinctionis nec minimum vestigium est in Scripturis. Dein, verbi gratia, si Filius totam habet Divinam essentiam; nulla est ratio, cur nomen Dei, etiam quando Filio tribuitur, non debeat accipi essentialiter. Denique qui nomen Dei audit, statim concipit Creatorem, ac Dominum universorum, & unicum profitemur; creare autem & dominari munus personæ est: & ideo nomen *Deus* significat unam tantum personam, neque alia est mirifica ejusdem nominis distinctio. Fucata ergo verborum specie, & absurditatibus maximis Trinitatis dogma à Catholicis explicatur.

21.  
Confirmatur.

CATH. Nos nequaquam Personam à substantia secernimus, non enim ignoramus traditam personæ definitionem, quod sit *rationalis natura individua substantia*. Putamus quoque, licet non idem statuam omnes, personam naturæ nullam addere distinctam modificationem aut formam: etiam concedimus unamquamque personam Divinam esse totam substantiam, non partem, alias duæ vel tres simul personæ majores forent una, neque essent singulæ invicem coæquales. At persona, & natura distinguuntur connotative, quod hæc dicatur ad seipsam, illa referatur ad aliud. Quare non sequitur, sunt tres personæ, ergo sunt tres substantiæ completæ; sed istud duntaxat, sunt tres personæ, ergo sunt tres ejusdem substantiæ supposita, & connotata. Ratio est, quia essentia significat id quod est; & persona id quod est alteri incommunicabile; unde si in una substantia sint plures proprietates incommunicabiles alteri, erunt distinctæ personæ in unitate substantiæ. Frustra quaritur in creaturis hujus mysterii exemplum. Scripturis credendum est. Audis Patrem; nomen est relativum, nomenque Personæ. Audis Deum; nomen est absolutum,  
E

22.  
Solutio Christiani quoad  
I. caput Catholicæ Doctrinæ.



tum, nomenque substantiæ. Audis Deum Patrem; & substantia significatur & ordo ad alium. Hunc tantum ordinem addit supra naturam Persona: neque ulla implicancia est unam indivisibilem substantiam trinam esse in personis; quia unitas ad absolutam naturam attinet, numerus ad relationem. Ad id, quod sequitur, dico unam tantum personam esse totam substantiam, sed non esse omnes terminos, omniaque connotata ejusdem substantiæ, ut monui in resp. ad septimum. Quod opponitur tertio loco verum est, quando multiplicatis subjectis multiplicari possunt quæ dicuntur de singulis; sed Divina natura multiplicari nequit, cum sit infinita & assentialiter una: nec adhiberi debent exempla à subjectis creatis petita.

23.  
Solutio  
Christiani  
quoad 2. Caput.

Ad argumenta, quibus alterum Caput doctrinæ Catholicæ impetitur, respondeo falsum esse, quod plures modi existendi multiplicent rem existentem, cum multiplicent solummodo naturæ existentis ordinem, & respectum. Non enim diversus est homo dum sedet, & stat, quamquam modus standi & sedendi diversi sint, diversaque ratione connotent locum. Quare autem distincti modi existendi nequeant esse eodem tempore in eadem essentia creata, diximus in resp. ad VII. Ad secundum constat, toto cælo distare hæresim Sabellianam à doctrina Catholicorum; quippe ex diverso modo, quo persona sese manifestat, non sequitur personæ distinctio, ut sequitur ex diverso modo terminandi naturam. Ita E. G. potest eadem persona apparere modo in nube, modo in rubo, & idem Spiritus nunc in columbæ specie, nunc ignis; quoniam modus iste appellat aut rem creatam, aut locum, non terminat diversam personalem proprietatem substantiam. Hanc diversam proprietatem negavit Sabellius, & profitentur Catholici. Ad tertium dico sequi ex infinitate substantiæ unitatem ejusdem, quia cum substantiæ discrepent invicem aut specie, aut separatione naturæ, importat utraque distinctio limitationem, quæ repugnat substantiæ infinitæ, ut demonstravi lib. I. cap. VI. Mom. III. At personæ neutro modo invicem distinguuntur; & consequenter earum distinctio nullam importat imperfectionem. Vide cap. VII. ejusdem libri in Resp. ad 3. Addo personas non habere infinitatem & perfectionem nisi ratione substantiæ; unde dicendum nisi ratione sunt plures personalitates perfectissimæ

& infinitæ, sed, plures personalitates, quæ sunt unica perfectio infinita.

Quæ contra tertium Trinitatis fundamentum opponebantur, ex dictis facillime solvuntur. τὴν περιχώρησιν, circuminfectionem, & immanentiam divinarum Personarum, in eo sitam dicimus, quod ratione unius naturæ nequeant invicem abscindi & divelli. Itaque ad primum respondemus fieri hanc circuminfectionem per inseparabilem naturæ unitatem, quæ cum ubique sit tota, separationem non potest recipere personarum. Ad 2. dicimus personas non distingui ab essentia, quoniam illi relative non opponuntur; distingui inter se, quia referuntur ad invicem. Ad tertium reponimus unam personam esse intra aliam, quatenus unum sunt substantia ac majestate, non quod proprietas unius personæ sit proprietas alterius: & ideo non sunt tres Trinitates, quia non sunt tres substantiæ in quibus tres hypostases uniantur, sed una eademque substantia in qualibet proprietate. Ad 4. dico Patrem esse in Patre & in seipso, in quantum est sua substantia; & Filium esse in Patre in quantum nascendo recipit substantiam Patris: quo sensu utraque propositio est vera, Pater est in seipso, & Filius est in Patre; quia etiam si *Paternitas* non sit *Filietas*, utraque proprietas personalis eadem res est cum substantia communi. Ad ultimum satis liquet ex lib. I. cap. IV. Prop. 2. Deo convenire immensitatem, neque Patrem in remotissimo cælorum recessu considerare.

Inepte adversus duplicem significationem hujus nominis *Dei* nugantur Hæretici. Etenim cum sit ex genere eorum quæ dicuntur concreta, significat primario naturam, deinde ejus extantiam in aliqua hypostasi, quomodo hæc vox *homo* directe naturam humanam, & de secundario individuum, in quo subsistit. Interdum ergo in Scripturis significat Divinam substantiam ut consistentem in aliqua definita hypostasi, ut in hac enunciatione Joan. I. *Deus erat Verbum*: interdum eandem divinitatem subsistentem in quapiam persona, indefinite & universe, ut Genes. I. *Creavit Deus cælum & terram*. Facile est utrumque dignoscere. Si enim enunciatur aliquid spectans ad munus personæ, debet accipi Dei nomen pro Persona, veluti si dicas, *Deus carnem assumpsit*. Si quodlibet pertinet ad naturam, pro natura; ut in exemplo, *Deus est unus*. Si aliquid demum conveniens personæ ratione naturæ, accipi debet pro natura in qua-

24.  
Solutio  
Christiani  
quoad 3. Caput.

25.  
Confirmatio.



qualibet persona consistente; ut dum dixeris, *Deus est infinitus, omnipotens, Creator & Dominus universorum*. Imperite ergo in hisce salebris Sociniani versantur.

26. **Obiectio 9.<sup>a</sup> Sociniani.** SocIN. Ex doctrina Trinitatis multa consequuntur absurda. Sequitur primo, veras esse has duas contradictorias, Deus est genitus, & Deus non est genitus. Tum eandem rem communicari, & non communicari, quum Filius habeat communem cum patre naturam, non paternitatem, quæ cum natura res una est. Item sequitur esse simul tres Personas, & unam præcedere aliam, & opera certo ordine distribui inter plures, quorum una est operatio. In has casses incidunt (inquiunt novi Ebionitæ) adoratores Trinitatis.

27. **Solutio Catholici.** CATH. Nullum absurdum ex fide Catholica derivatur. Non primum, quia si in his propositionibus, Deus est genitus, & Deus non est genitus, supponat Deus pro diversa persona, nulla est contradictio: si in prima supponat pro filio, in secunda pro omnibus personis indeterminate; non sunt hæ propositiones simul veræ, sed prima vera est, altera falsa. Non sequitur secundum, quoniam Essentia patris communicatur filio, sed non communicatur personaliter, videlicet secundum rationem, quæ constituit personam patris, ut nono libro explicabimus. Non ultimum denique;

sunt enim Divinæ personæ simul æternitate ac natura, sed tamen una habet originem, & procedit ab altera. Opera autem ad extra sunt quidem tribus personis communia, ut habetur Joan. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor: & Quacunque Pater facit, hæc & filius similiter facit*. At in operibus diversæ rationes sunt distinguendæ: quarum aliqua ad communem pertinent omnipotentiam, aliqua ad personalem proprietatem. In exemplo sit, quando in Jordane vox Patris intonuit, *Hic est filius meus dilectus, &c.* vocis sonum tota Trinitas creavit, sed verborum significatio ad solum Patrem pertinuit. Dominica pariter incarnatio, in quantum est conceptio & productio hominis, etiam à Patre, & Spiritu Sancto peracta est; nam de Patre dicitur: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*: & de tertia persona, *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Sed prout Incarnatio est assumptio ac terminatio naturæ humanæ, est solius Verbi, quia terminare naturam non opus est omnipotentia, sed munus hypostasis. Ita quoque Columbæ species, in qua visibiliter Spiritus Sanctus apparuit à tota Trinitate est perfecta, sed conditio Doni est soli Spiritui tribuenda. At de postremo hoc argumento plura S. P. Augustinus lib. 11. de Trinitate cap. v.

## C A P U T VII.

Superiores responsiones exemplis ac rationibus illustrantur.

### S U M M A R I U M.

1. 2. & 3. per exempla firmatur dari SS. Trinitatis Mystrium.

4. Demonstratur Trinitatem personarum non officere D. Simplicitati.

Exempla & Rationes responsionum Catholici.

**P**ROPOSITA contra Trinitatem argumenta urgentur fere omnia à Wozogenio Barone Austriaco Sociniano, qui Crelliana sophismata sub nova quadam larva produxit, postquam adversus Crellium doctissimi viri pugnaverant. Dignus autem videbatur, cui singillatim responderetur, quod omnia Majorum suorum arma tractaverit, idque callida dexteritate: ceteri autem Scriptores ineant ut plurimum cum solo Crellio certamen. His ergo hæreticis concedendum est Trinitatem mysterium esse, quod mentem superat omnium creaturarum. Verum nec desunt in rebus creatis exempla, quibus quodammodo comprobetur.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

Tenent primum locum permulta Trinitatis vestigia, quæ in creaturis occurrunt. In his primum sunt generationes, quæ cum sint perfectiones rerum (est enim perfectio gignere sibi simile) non debet Deo repugnare: unde Isaias inquit, *Qui alios parere facio, ipse non pariam? qui ceteris generationem tribuo, sterilis ero?* Compertum quoque est esse in Deo summam felicitatem & beatitudinem: ad quam requiritur societas, & consortium aliorum: Societas autem hominum vel Angelorum ad Dei beatitudinem conferre nequit, cum summum bonum mutuari non debeat à re creata felicitatem. Idem affirmandum est de perfecta amicitia, qualem in Deo esse

1. Generationes creaturarum indicant Trinitatem.

E 2

esse



esse non videtur in dubitationem revocandum. Sunt pariter innumerae similitudines, quæ ob oculos nostros versantur, quarum unam affert S. P. Augustinus. serm. 38. de Verbis Ap. cap. 7. ex aqua, dicens: *Fons, fluxus, & potio sunt aqua, & tamen nihil horum est alterum.* Aliam serm. 1. cap. 3. à sole, scribens: *In sole tria sunt, & sicut videmus separari non possunt, cursus, splendor & calor.* Tertiam petit de Fide & Op. cap. 9. ab igne, *in quo sunt simul splendor, motus & calor.* Profert & quartam lib. xiv. de Trinitate his verbis: *Mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.* In omni creatura vestigium extat Trinitatis, secundum quod unum aliquid est, & secundum quod aliqua specie formatur, & secundum quod quemdam ordinem tenet, ut idem Augustinus explicat lib. vi. de Trin. cap. ultimo. Accedit perfectio numeri Ternarii, cuius invenimus ordinem in rerum naturalium principiis, in partibus temporis, in corporum dimensionibus, in animarum potentiis ac speciebus, in differentiis motuum, in unaquaque re, quæ producta fuit in mensura, numero, ac pondere, & cui inest terna perfectio, unitas, veritas, bonitas. Quare perfectissimam quamque rem hoc numero designamus, ut cum dicimus aliquem ter beatum, terminum. Sed de his plura apud Bongum de mysteriis numerorum. Legite & D. Thomam 1. P. q. 45. art. 7. Estium in 1. Dist. 3. §. x. & xi. & Contensonium lib. 3. differt. 3. cap. 1. Speculat. 2.

2.  
Trinitas non  
repugnat  
naturali ra-  
tioni.

Atque hisce exemplis possumus Trinitatis mysterium etiam rudibus insinuaré. Quibus addam palmaria quædam ex Conflictu Serapionis, & Arnobii, qui extat Tom. viii. Biblioth. PP. pag. 203. Peto (ut quæ illic pluribus comprehenduntur, paucis exponam) cur Trinitas naturali rationi repugnat? Num quia fieri non potest, ut eadem sit multarum personarum operatio? Nequaquam, Duorum quippe oculorum est unus contuitus, duarum aurium unus auditus, duarum manuum unus tactus, duorum pedum unus gressus, duorum laborum unus sermo. Si dixeris has operationes non esse perfectas in uno duntaxat principio; ponantur tres pretiosæ margaritæ obscuro quodam in loco, & singulæ eodem lumine pariter conspiciuntur. Si ergo multi pretiosi lapides uno fulgore ornatum sui splendoris ostendant, quomodo nequeunt

plures personæ unica fidei luce in una divinitate discerni? At, inquis, tres margaritæ eundem numero valorem non habent. Ita est: sed possunt industria artificis itanecti, ut unum regis diadema componant: & si arte plures construuntur gemmæ, ut sint regni unus diadema; quare in uno divinæ fecunditatis thesauro esse nequeunt plures personæ ita naturaliter compactæ, ut singularum unum sit regnum, una Potestas, una divinitas? Fieri non potest, dices, ut multorum unum regnum sit, atque indivisum imperium? Etiam; nam tres imperatores aliquando pari potestate regnaverunt, Augustus, Antonius, Lepidus, qui instituerunt Triumviratum; & iterum tres filii Constantini, & rursus, Honorius, Arcadius, Gratianus, licet non tanta animorum, quanta decuisset, consensione. Cum ergo temporale imperium talem in se continere valeat concordiam pacis; quanto erit major consensio, & unitas personarum in regno, quod nulla potest animorum discrepantia turbare? Instas non posse divinæ majestati mortale regnum aptari, cum trium Augustorum unus sit genitus tempore, ante alium, ac senior ætate juniores præcedat: sed dicam e contra, hoc inter temporale, æternumque regnum interesse discriminis, quod in illo unus est semper altero anterior, quia ipsorum vita tempore præterlabitur, sed æternitas omnis successionis ac mutationis esse expers. Affirmas imperceptibile esse, quod una persona originem habeat ab alia, & tamen singulæ sint duratione coæquales. Verum occurro asserens, non repugnare quod plura simul sint coætterna, & unum proficiatur ab alio: quandoquidem ex flatu vox, ex voce efficitur sermo; & uno eodemque momento flatus, vox, & sermo oriuntur. Hæc aliaque permulta in citato conflictu Serapionis, & Arnobii digna lectu reperies, valde utilia, si cum ingenii moderatione legantur: & longe plura, sed sublimiora, apud Augustinum toto libro ix. de Trinitate.

His addere possem plurima miracula, quæ reddunt Trinitatis mysterium evidenter credibile, demonstrantque non esse humana ratione temere investigandum aut impugnandum pertinaciter. Quædam vide in Magno Theatro vitæ humanæ Tom. vii. pag. 219. alia in vita Basilii, quam scripsit Amphilochius, nonnulla apud Victorem Vitensem lib. i. de Persecutione Vandalica, & Gregorium lib. iii. dialogorum cap. 32. lege & Baronium Tom. vii. ad annum Christi 583. num.

3.  
Miracula  
credibile fa-  
ciunt Myste-  
rium Trini-  
tatis.



42. & 43. Unum narro tantum maximum ac perpetuum, nobis domesticum, & ad hæreticos convincendos aptissimum. In cista enim fellea B. Claræ Sanctimonialis nostri Ordinis reperti sunt post obitum tres globuli, in trianguli formam dispositi, imagine, colore, & pondere pares: quorum unus tantum pondus habet, quantum duo aut tres: tres item quantum duo, vel unus; ita ut, siue separatim spectentur, siue omnes simul, siue unus cum duobus comparetur, nullum vel minimum sit inter illos discrimen. Qui, ut Ecclesia loquitur, *Sanctissima Trinitatis Symbolum referentes* servantur adhuc in pretiosa cruce dispositi una cum passionis Christi mysteriis mirabiliter in corde ejus impressis.

4.  
Trinitas Personarum  
non officit  
D. Simpli-  
citati.

Exemplis ac miraculis accedit argumentum, quo simul demonstratur Trinitatem personarum non officere Divinæ simplicitati. Tantum abest ut plures Personæ destruant Divinæ substantiæ unitatem, uti opponunt hæretici; quin potius nisi in Deo esset distinctio trium personarum, non foret Deus summe unus, qualem esse ratio naturalis evincit. Etenim supponatur in divinitate una tantum Persona. In ea, si aliæ Divinæ personæ dari nequeant, operationes in-

tellektus, & voluntatis nullum terminum subsistentem producent; nam si producant, jam habemus Personas. Atqui si intelligendi, & volendi operationes nullum terminum substantialem producant, Deus non est perfecte unus, sed in substantia compositus. Ergo nisi plures dentur personæ, non salvatur in Divina substantia naturalis unitas & simplicitas. Probatur minor: Aut Divinæ operationes sunt eadem Divina substantia, aut sunt prolationes & actiones à Divina substantia distinctæ? si hoc asseris, compositum Deum pronuntias, ut recte ait Irenæus lib. 1. cap. 18. Si vero propter unitatem, ac simplicitatem Divinam non distinguis operationes à Divina substantia: ob eandem causam non debes distinguere à Divina substantia intelligentem, ac volentem, terminum intellectionis ac volitionis. Quæ argumentatio non valet de operationibus transeuntibus, cum istæ connotent terminum extrinsecum, & natura sua à divinitate sejunctum. Ex quibus obiter nota, pluralitatem personarum divinarum nullam in Deo inferre compositionem, sed summam simplicitatem, ut dixi lib. 11. cap. 111. Propositione ultima.

## CAPUT VIII.

De Verbi divini ante Incarnationem præexistentia.

### SUMMARIUM.

1. Proponitur status questionis.

2. 3. 4. & 5. Probatur Dei filium fuisse in aliqua substantia ante temporalem sui conceptionem

à n. 6. usque ad 22. diluuntur Sophismata diabolica.

1.  
Præexisten-  
tia verbi Di-  
vini ante In-  
carnatio-  
nem.

**C**ÆTERORUM hæreticorum, qui in Christum Dominum impiissimas eructaverunt blasphemias, tres videntur, ac sunt profecto, iniquissimi, Cerinthus, Arius, Socinus. Cerinthus circa annum vulgaris Æræ 80. illum puerum hominem prædicavit asserens ante Mariam non fuisse; quem secuti sunt Ebionitæ sic dicti, vel ab Ebione quodam, vel quod ab Ethnicis, Judæis, & Christianis derelicti, fuerint אביונים, id est pauperes ac miserrimi. Adversus hanc pestem scripsit Ephesi Evangelium Joannes, ut auctor est in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis S. Hieronymus. Arius deinde vertente anno 320. aut paulo ante, ex Schismatico & fau- tore Meletii factus est ductor hæreticorum, & Filio Dei divinitatem negare ausus est; quem proscripsit sacrosancta

Nicæna Synodus, & Patres quarti sæculi confutarunt. Socinus Sabellianorum, ut supra vidimus, fermento corruptus etiam Ebionitarum, & Arianorum errores sectatus est, ita ut habeatur ætate quidem posterior, sed primus impietate ac perfidia. Nam cum Sabellio unam statuit in divinitate personam, cum Ebionitis negavit Christum Deiparæ tempora præcessisse, & cum Arianis adversus Filii divinitatem pugnavit: neque paternam generationem fateri voluit, neque Verbi consubstantialitatem cum Patre. Itaque refutata hæresi Sabelliana, videndum est, an Christus ante temporalem sui conceptionem præextiterit, deinde utrum sit verus Filius Dei, ac postea an sit æterno Patri consubstantialis. Nunc de priori questione.

E 3

PRQ.



2. PROPOSITIO: Filius Dei fuit in ali-  
Propositio. qua substantia, priusquam concipere-  
tur à Virgine.

Probatio 1. Id primum evincitur ex Evangelio  
Joannis cap. 1. quod tale habet initium:  
*In principio erat Verbum, & Verbum  
erat apud Deum, & Deus erat Verbum,  
hoc erat in principio apud Deum.* Per  
Verbi nomen designari Personam pro-  
batur. Ac primo, quoniam de hoc  
Verbo ait Evangelista, *Verbum caro  
factum est*, Et Verbum incarnatum ali-  
quam personam esse, etiam hæretici  
profitentur. Deinde, quia Joannes de-  
clarat hoc Verbum fuisse Filium Patris,  
dicens: *Vidimus gloriam ejus, quasi  
Unigeniti à Patre.* Quod hæc persona  
fuerit ante assumptam humanitatem,  
ostenditur. Primo: Hoc Verbum erat  
in principio: Esse in principio idem est,  
ac esse ante omnes creaturas: Ergo ante  
omnes creaturas erat Verbum. Ita  
Joannes Chrysostomus Hom. 7. in Joan-  
nem: *In principio erat: ante omnia  
intelligibilia, & ante secula ipsum in-  
telligit.* Et Ambrosius lib. 1. de Fide ad  
Grat. cap. 5. *Erat apud Deum, erat,  
erat, erat. Ecce quater, erat. Ubi  
impius invenit quod non erat?* Bene ex  
hoc loco Nicæni PP. damnaverunt  
Arium, qui dicebat, Verbum factum  
ex non extantibus, & fuisse aliquando,  
cum nondum esset: ut refert Socrates  
lib. 1. Historiæ cap. VIII. Deinde sic  
arguo: Per ipsum Verbum omnia facta  
sunt; Ergo erat antequam omnia fierent.  
Item: Hoc Verbum caro factum est;  
extabat ergo, priusquam nasceretur ex  
Virgine. Rursus argumentari licet:  
Ex primo Geneleos, *In principio crea-  
vit Deus cælum & terram*, sequitur  
nullam creaturam fuisse productam ante  
cælum & terram: Igitur ex primo Joan-  
nis, *In principio erat Verbum*, infer-  
tur nihil fuisse ante Verbum.

3. Secundo probatur ex eodem Evan-  
gelio Joannis cap. VIII. 56. ubi legi-  
tur: *Dixit eis Jesus: Amen, amen dico  
vobis, antequam Abraham fieret, ego  
sum.* Fuit ergo Dominus Jesus ante  
Abrahamum. Hæc verba à recentio-  
ribus Socinianis ita exponuntur, quod  
Christus fuerit, antequam fieret Abra-  
ham, Divina, ut inquit Hugo Gro-  
tius, constitutione. Sed pessime impii  
Evangelica verba contorquent. Tum  
quod constitutione, & prædestinatione  
non solum Christus Abrahamum præ-  
cesserit, verum etiam quilibet præde-  
stinatorum: tum quod ex visceribus tex-  
tus inferatur evidentissime Abrahamo Je-  
sum præexistisse ætate ac tempore. Dixe-

runt etenim Judæi: *Quinquaginta an-  
nos nondum habes, & Abraham vidisti?*  
Hoc perinde est, ac si dixissent: Ut  
Abraham te videre potuisset, & tu il-  
lum debuisses nasci in eadem Abrahami  
ætate: At cum nondum quinquagenarius  
sis, non es natus ætate Abrahami: Igi-  
tur neque Abraham te videre potuit, ne-  
que tu illum. Judæos hæc objectare  
de præexistentia temporis, satis liquet.  
Igitur Christus, qui respondit, *Ante-  
quam Abraham fieret, ego sum*; facit se  
multo antiquiorem Abrahamo: & sen-  
sus horum Verborum est, Abraham ex-  
petivit videre jam peractam Incarnatio-  
nem, & Spiritu, ac fide me vidit; Et  
ego qui non sum purus homo, sed Deus  
sempiternus, antequam Abraham crea-  
retur, jam eram. Observarunt præte-  
rea Theologi ac Patres his verbis *ante-  
quam Abraham fieret, ego sum*, Verbi  
æternitatem significari. Primo quod  
*et fieret* designans creaturam opponat-  
ur *et sum*, non, eram, aut, factus  
sum, quæ magis priori verbo respon-  
debant; quoniam illud *sum* designare  
solet æternitatem, ut Psalmo ci. 28. *Tu  
autem idem ipse es, & anni tui non de-  
ficient*: quod etiam de Christo repetitur  
in Epist. ad Hebræos cap. 1. 12. deinde,  
quod hæc verba Joannis simillima sint  
illis Ps. 89. 2. *Priusquam montes fierent,  
tu es, &c.* quibus certum est Divinam  
permanentiam, atque æternitatem de-  
scribi. Quod observatum etiam ab Au-  
gustino Tractatu in Joannem tertio &  
quadragesimo.

4. Prob. 3. Nullus est, qui Deum Pa-  
trem præcessisse quamcunque creaturam  
inicias eat; idque neget probari ex  
cap. XI. Esaiæ v. 4. *Quis hæc operatus  
est, & fecit, vocans generationes ab  
exordio? Ego Dominus primus & novis-  
simus, ego sum.* At similia enunciantur  
de Christo Domino Apocalypseo 1. 8.  
*Ego sum & & &, & &, principium & finis,  
dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui  
venturus est: & cap. ult. 13. Ego sum &  
& &, & &, primus & novissimus, principium  
& finis.* Ergo & Christus creaturam om-  
nem præcessit. Neque vero possunt tex-  
tus Apocalypsis accipi tantum de Deo  
Patre; primo, quia cap. 1. fit sermo de  
Judice, & Salvatore nostro, de quo  
versu proximo habetur: *Ecce venit cum  
nubibus, & videbit eum omnis oculus,  
& qui eum pupugerunt.* Rursus, quia  
cap. ultimo advertitur præfata verba esse  
Domini Jesu, v. 16. *Ego Jesus misi An-  
gelum meum testificari vobis hæc in Ec-  
clesiis.* Ego sum radix, & genus Da-  
vid. Denique cap. XXI. 6. repetit ea-  
dem



dem verba Agnus, qui sedebat in Throno: quem esse Jesum pro nobis occisum non est dubitandum. Habet similiter Apostolus ad Hebræos XIII. 8. *Jesus Christus heri, & hodie, Ipse, & in sæcula.* Et Michæas V. 2. *Et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Et quidem hæc de parvulo nascituro in Bethlehem, Dominatore Israel. Hujus generis extant in Tabulis utriusque fœderis plurima.

5. **Probatio 4.** Quarto probatur ex Traditione Patrum Antenicenorum; nam de aliis nulla occurrere potest dubitatio. Illorum quippe Patrum communis sententia fuit in veteri Testamento, quotiescunque Deum apparuisse narratur, Filium Dei sese sub variis speciebus hominibus manifestasse. Ita enim docet Justinus in Dialogo cum Tryphone, nempe fuisse Christum, qui ad Ilicem Mambre apparuit Abrahamo, & in Bethel Jacob, atque Moyfi in rubo ardenti. Neque dissentit Justinus lib. IV. adversus hæreses cap. XI. & XII. Tradit idem Clemens Alexandr. in I. Pedagogi cap. 7. Tertullianus cap. XIV. & XVI. adversus Praxeam, Origenes in III. ac VI. contra Celsum. Quam fuisse opinionem omnium fere Græcorum constat ex Proœmio Eusebii in Historiam Ecclesiasticam, ut animadvertit Estius in cap. III. Exodi V. 2.

#### SOPHISMATA DIABOLICA DILUUNTUR.

**Objectiones & Solutiones.** Argumenta prædicta gravissima, ac præsertim secundum Lælio Socino solutu difficillimum visum est, eique responsionem à Deo ipso patefactam scribit Faustus in disputatione adversus Erasmus Joannis edita anno 1595. arg. 4. & Schmalzius in Resp. ad Parasophism. p. 5. Lælium ergo, quoniam non potuit Spiritus Domini obcæcare, decipit profecto Diabolus. Cum spiritu nequitiae in nomine Jesu Christi pugnam itaque aggrediamur.

6. **Obiectio I.** Opp. I. Sensus verborum Joannis cap. VIII. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, est, priusquam Abraham fiat Pater multarum gentium in futura conversione, jam ego sum Salvator vester ac pater. Non ergo inde evincitur Christum Abrahamo præextitisse. Probant, Græca verba sic habent, *Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι*; quæ si ad verbum latine reddere velis, ita sonabunt; *Antequam Abraham fieri, ego sum.* Atque ita reddidit Arias Montanus. Est enim τὸ γενέσθαι,

fieri, Aoristus verbi γίνωμαι, fio. Sed voces Aoristicae, ut norunt qui linguæ Græcæ aliquam dederunt operam, significationem mutuatur à verbis, quibus junguntur, ita ut si cum præterito tempore jungantur, præteritum, si cum præsentem, præsens significare soleant. Ergo in hoc textu, cum τὸ γενέσθαι fieri, jungatur πρὶν λέγω, dico, & τῷ εἰμι, sum, præsentis temporis, præsentis significationem habere debet. Minor probatur: Joannis XIII. 19. ubi legit Vulgata: *Amen dico vobis, priusquam fiat*, habetur in Græco, *Ἀπ' ἄρτι λέγω πρὶν τὸ γενέσθαι*, & XIV. 29. ubi legimus, *Dixi vobis, priusquam fiat*, est in græco *εἶρηκα ὑμῖν τὴν γενέσθαι*; ubique Aoristus à verbo præcedenti temporis significationem mutuatur: neque huic regulæ contraria exempla, ait Wolzogenius, adhuc vidimus. Debemus ergo publica via incedere, non ferri per avia, & dum per ostium possumus, nolle ingredi per fenestram.

7. **Solutio.** Resp. nego antecedens. Ad probationem concedo voces aoristicas indeterminati temporis esse: an autem sint præteriti, vel futuri, dicimus inferendum esse ex contextu. Hoc loco & ex Judæorum cum Christo disputatione, & ex propositione πρὶν, *antequam*, constat aoristum γενέσθαι, *fieri*, præteriti significationem habere. Ad probat. I. retorqueo adversus Socinianos ipsorum sophismata: quippe Joannis XVI. 29. aoristus γενέσθαι, *fieri*, est futuræ significationis, & nihilominus jungitur cum præterito, *εἶρηκα*, *dixi*, II. Nego in orationis complexu nulla verba præterita reperiri, cum sint plura, ut illa, *dixerunt Judæi, & Abraham vidisti*, &c. III. Socinus contendit aoristum hic habere significationem futuri temporis, ita ut sensus sit, *Antequam Abraham fiat*, caput omnium credentium (quod post ascensionem meam futurum est) ego jam sum Christus, & Servator vester; id enim probare conatur in lib. contra Bellarm. & Wiech. cap. 7. class. V. & tamen verbum λέγω, & εἰμι præsentis temporis sunt: quomodo ergo aoristus à verbis, quibus jungitur, temporis significationem mutuatur? IV. Verbum præsens dico infert tantum sermonis præsentiam, non rerum quæ dicuntur: alioqui quæcunque Christus futura enuntiavit, fuissent dum adhuc loqueretur, præsentia. Inquit Wolzogenius: Si Christus simpliciter existentiam suam ante Abrahamum significare volebat, cur potius non dixit, *Ego eram, vel fui*? Sed supra dictum est, melius per verbum præ-



præfens significari æternitatem, allatumque exemplum illud aptissimum Pl. 89. 2. *πρὶν τὰ ὄρη γενέσθαι, σὺ εἶ, Antequam fierent montes, tu es.* Cur non ait Psalmista, *Tu eras, aut fuisti?* Nimirum id temporis, non æternitatis character fuisset. Quid? Mavult Wolzogenius, *Ego eram?* Ita habet Syrus, auctore Grotio.

8.  
Instantia  
Wolzogenii.

Instat Wolzogenius. Genes. xvii. 5. Abraham prius vocabatur Abram, id est, Pater excelsus; quod nomen mutatum est in Abraham, significans Patrem multarum gentium: & hujus nominis significatio tum demum impleta est, cum gentes crediderunt in Christum; ut explicat Apostolus ad Romanos iv. 11. & seqq. Sensus ergo valde egregius, & Servatore nostro dignissimus prædictorum verborum est, Antequam Gentes in filiorum Abrahami censum recipiantur, ego sum illa, quam ab initio colloqui mei dixeram, lux mundi, seu Servator olim à Deo promissus, & nunc missus.

9.  
Solutio.

Resp. utique Patrem multarum gentium esse Abraham, & hanc prærogativam adeptum per fidem in conversione Gentilium. Sed non fumitur hoc loco Abraham juxta nominis etymon, id est, ut significat prærogativam paternitatis multarum gentium; sed quatenus significat personam, quæ longa ætate Christi Incarnationem præcesserat. Ratio manifesta est, quoniam ita accipitur, ut diximus, nomen Abraham in toto orationis complexu, & Christus Dominus respondit Judæis objicientibus, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Accedit discrimen esse maximum, si dicamus, Antequam Abram fiat Abraham, & Antequam Abraham fieret. Detur, priorem enunciationem reddere sensum, quem Sociniani commenti sunt: at postremæ quis talem vim inesse censebit? Adde summam sagacitatem Joannis, qui ubicunque verba aliam præter literam significationem præferunt, cautè solet advertere. Suam interpretationem obviam non esse, fateri debent Sociniani, qui illam credunt Lælio post multas preces divinitus revelatam.

10.  
Solutio  
ulterior.

Quoniam vero Faustus Socinus ait, Christum a cute detorsisse nomen Abraham ab ipso homine, cui fuerat impositum, ad rem quam significat; præter dicta de scopo, & coherencia hujus loci, adverte in Scripturis, ubi exprimitur Abrahami prærogativa & conditio, non haberi propositionem de secundo adjacente, *Abraham est*, sed de tertio, *A-*

*bram est pater multarum gentium*, ut constat ex cap. xvii. Genes. 5. & ex Epist. ad Rom. iv. v. 18. iisdem scilicet locis, quæ vaferrimus Socinianus objectat. Quamobrem in cap. viii. Joannis, in quo occurrit propositio de secundo adjecto, *Antequam Abraham fieret*, non prærogativa conditionis exprimitur, sed existentia personæ.

Opponit 2. Wolzogenius contra argumentum ex 1. Joannis. Proposuit sibi Evangelista novæ creationis historiam describere, ob quam fideles novæ creaturæ appellantur 2. ad Corinth. 5. 17. & Christus dicitur principium creationis Dei in Apocalyp. cap. 3. 14. Hinc orditur descriptionem suam iisdem verbis, *In principio*, prout Moyses suam orsus est historiam. Et sicut Moyses testatur Deum omnia creasse per verbum suum, sive sermonem, & jussu; ita Joannes indicat v. 3. omnia, quæ pertinent ad spiritualem structuram facta esse per Christum. Præterea sicut in veteri creatione omnia acceperunt vitam, ita ait Joannes versu 4. etiam in Christo vitam fuisse, quæ in novis creaturis parata sit. Et quemadmodum Moyses inquit, tenebras fuisse super abyssum; sic v. 5. meminit Joannes lucis, quæ in tenebris lucet. Ita comparat Evangelista novam creationem spiritualem cum veteri. Ex quibus hæc consequuntur. Dum Moyses inchoat historiam suam *In principio creavit Deus cælum & terram*, principium illud ad historiam mundi conditi est referendum, quasi dicat, in principio rerum hujusmodi, seu ante omnes res in mundo factas, creavit Deus cælum, & terram. Ergo cum Joannes dicit: *In principio erat Verbum*, principium istud referri debet ad narrationem creationis spiritualis, & eorum quæ pertinent ad Evangelium, quasi dicat, Ante omnia, quæ ad Evangelium spectant, erat Verbum.

Confirmatur 1. quia ut constat ex Marci cap. 1. v. 1. & ex Act. Apost. cap. 1. 21, principium Evangelii inchoatur à prædicatione Joannis Baptistæ. Et Joannes, postquam ait per Sermonem totum opus novæ creationis peractum esse, subnectit v. 6. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* 11. Quia multa reperiuntur loca Scripturæ, in quibus verba *In principio* simpliciter posita designant, non principium omnium rerum, sed earum tantum, de quibus est sermo, ut Joan. 15. 27. *Et vos testabimini, quoniam à principio mecum estis.* Sic etiam Epistolam suam primam orditur Joannes: *Quod erat à principio,*

11.  
Obiectio 2.  
Wolzogenii.

12.  
Confirmatur.



13.  
Confirmatur.

*capio, quod vidimus, &c.* 111. Quia dato etiam, quod Christus fuerit in principio creationis, non sequitur fuisse aeternum; quoniam potuit illum Deus ante mundum creare, quemadmodum & alias res, quales in exemplo sunt Angeli.

Multo minus, inquit Organum diaboli, probatur Christi praesistentia ex versu 14. *Et Verbum caro factum est.* Primo quia legendum est, *Et Sermo fuit caro*, cum sit verbum *ἐγένετο*, quod verbum denotat *fuit*, ut notum est omnibus, qui Græcam linguam vel primis degustarunt labris, & habemus exemplum supra v. 6. *Fuit* (Gr. *ἐγένετο*) *homo missus à Deo.* Deinde si ita transferatur, *Verbum caro factum est*, sequitur Verbum incarnatum desisse esse, quod fuerat, sicuti cum aqua in Cana Galilææ facta est vinum, non amplius fuit aqua: quando uxor Loth facta est statua salis, non amplius mansit femina. Denique Evangelista per illa verba, *Et Sermo fuit caro*, significat solummodo fuisse Christum quantum ad naturam infirmum ac mortalem; quia cum praecedenti versiculo meminisset summi boni, quo cumulat eos, qui eum receperunt; ne quis crederet auctorem felicitatis nostræ diversum esse ab aliis hominibus; aut dubitaret, quomodo homo mortalis ad tantam dignitatem eveheretur, ut fieret Filius Dei, addendum erat, etiam Dominum Jesum fuisse hominem fragilem, ac mortalem.

14.  
Solutio 1.

Resp. Gratis & ad libidinem Wolzogenium scopum praefigere Evangelistæ. Is, auctore Hieronymo, scripsit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliasque tum grassantes hæreses, & maxime Ebionitarum, qui asseriebant Christum ante Mariam non fuisse; unde compulsus est Divinam ejus edisserere nativitatem. Addit Irenæus lib. 11. cap. 11. scripsisse adversus Nicolaitas, & Gnosticos, qui Christianæ simplicitati Platonice miscabant Philosophiam. Contendunt quidam respexisse initio Evangelii ad Philonem Alexandinum, qui plura de Sermonem Dei divulgavit, ne Christiani similitudine sermone fallerentur. Quæ omnia vera simul esse possunt; nam *omnes hæreses rezi noster piscator exclusit*, ait lib. 1. ad Grat. cap. 5. S. Ambrosius. Vide quam bene cum hoc scopo Evangelii verba cohæreant. Gnostici inter Aeones nominabant *λόγον, Verbum, ζῶν, vitam, σωτήρα, Salvatorem*, & *μονογενή, unigenitum*, quæ nomina extant etiam apud Proclum ad Timæum Platonis. Hinc fabula Valentiniāna à nobis explor-

R. P. Berti Theol. Tom. II.

sa lib. 2. cap. 5. Principio itaque Joannes demonstrat *τὸν λόγον Verbum* esse ipsum Deum, dicens: *In principio erat Verbum, &c.* Deinde cum Gnostici assererent, alium esse Deum Creatorem, alium esse Verbum fabricatoris filium, alium, ut inquit Irenæus, de superioribus Christum; ait Joannes, unum esse Deum, qui omnia fecit per Verbum suum, *Omnia, inquit, per ipsum facta sunt.* Destruit deinde aliud Gnosticorum figmentum, affirmans non aliam esse emanationem *λόγον, Verbum*, & aliam *ζῶν, Vitam*, dicens in Verbo vitam in principio fuisse: *In ipso vita erat.* Sequitur hanc vitam simul esse lucem spirituales omnium hominum, neque aliunde expectandam aeternam vitam, *Et vita, inquit, erat lux hominum, &c.* ne quis putet diversum esse *ζῶν, Vitam*, diversum *σωτήρα, Salvatorem*. Narrat deinde testimonium Joannis Baptistæ, qui venit ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes in ipsum crederent. Quid autem credendum est? Sane credendum nedum unum esse *λόγον, Verbum, ζῶν, Vitam, σωτήρα Salvatorem*, sed etiam ab hoc Verbo indistinctum esse Christum, seu *μονογενή, Unigenitum*: quod significat his, quæ sequuntur: *Et Verbum caro factum est, &c.* Vides verborum ordinem, & cohærentiam? Itaque cum talem fuisse scopum Joannis constet Patrum auctoritate, constet verborum complexu, constet ex comparatione errorum Ebionitarum, & Gnosticorum cum Evangelicis verbis; quis credet Wolzogenio fabellas propria imaginatione fingenti?

15.  
Solutio 2.

Sed concedamus quoque scopum Joannis esse, historiam nobis novæ creationis describere; quippe revera sumus in Christo nova creatura, novumque figmentum: quid inde adversus Catholicam Fidem fiet consequens? Imo ita nobis fas erit argumentari. Demonstrat Joannes auctorem novæ creationis esse Verbum Dei: Ait hoc Verbum non esse diversum à Creatore rerum universalium: Igitur Creator rerum universalium idem est ac auctor novæ creationis. Major propositio est Sozinianorum. Minor autem S. Irenæi lib. 111. cap. xi. & probatur. 1. De hoc Verbo inquit Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo per ipsum factæ sunt nedum novæ creaturæ, sed etiam veteres. Vide Augustinum in 1. de Trinit. cap. 6. 111. Ait Evangelista: *Et sine ipso factum est nihil*; ergo nulla creatura est, quæ non sit facta per Verbum. 111. Addit Joannes: *Mundus per ipsum factus est*; igitur

Ver-



Verbum à quo nova creatura facta est, est idem Verbum per quod factus est mundus. Factus utique, ait Socinus, id est, *refectus*, idiotismo Hebræorum, qui utuntur verbis simplicibus pro compositis. Sed pro futile commentum! Hebræa lingua verbis compositis caret, & ideo verba simplicia habent aliquando apud Hebræos significationem compositorum: at non caret verbis compositis lingua Græca, qua certum est scripsisse Joannem. Adde consonantiam Scripturarum, quæ alibi docent per Verbum, & per Filium Dei creata fuisse omnia, ad Hebræos 1. v. 10. 1. ad Corinth. VIII. v. 6. Proverb. VIII. àv. 22. ad 31. &c.

16.

Solutio 3.

Ex his facilis est ad Wolzogenii argumentum responsio. Ac primo illud retorquetur in adversarium; nam si Genesis 1. ea verba, *In principio creavit Deus cælum & terram*, significant ante omnes res, quæ creatæ sunt, creata fuisse cælum & terram: Ergo cap. 1. Joannis illa verba, *In principio erat Verbum*, designant, antequam esset Verbum, nihil fuisse. Deinde notandum est discrimen inter *τὸ creavit*, & *τὸ erat*. Si in principio cælum & terra creata sunt, ergo antea non erant. Econtra, si Verbum in principio jam erat: ergo in principio creatum non est. Deinde non ait Evangelista simpliciter, *Verbum erat*: sed, *Verbum erat apud Deum*, *Deus erat Verbum*, id est, erat æternum: quod habet expresse Arabicus.

17.

Solutio 4.

Ad 1. Confirmationem concedo Christi prædicationem habuisse initium à Joannis baptisinate; sed ea verba *In principio*, non referuntur ad baptismum Joannis, sed ad Verbi existentiam; non enim scriptum est, *In principio fuit homo missus à Deo*, sed, *In principio erat Verbum*. Imo ita argumentum retorquetur: Evangelii prædicatione non habuit initium nisi à baptismo Joannis: Ea verba, *In principio erat Verbum*, non appellant supra baptismum Joannis: Ergo ea verba, *In principio erat Verbum*, minime appellant supra initium Evangelii. Ad 2. dico, quod significatio hujus vocis *Principii*, etsi indifferens sit, à verbis quibus nectitur, satis liquet. Quare, si 1. Joannis cap. 1. *τὸ, Quod fuit ab initio, & audivimus &c.* significat, ut contendit hæreticus, initium auditæ prædicationis, eoquod sequatur verbum, *Audivimus*; in cap. 1. Evangelii designare debet æternam existentiam apud patrem, quum sequantur hæc verba, *Et Verbum erat apud Deum*. Ad tertiam dico primum, Angelos prima die fuisse conditos, non ante mun-

dum hunc aspectabilem. Deinde si velis ante cælum terramque creatos, (quod tamen est falsum) id parum refert. Qui enim hanc tenent sententiam, exponunt verba Genesis, *In principio creavit cælum, & terram*, de Principio rerum corporearum, quarum narrationem prosequitur Moyses: sed in Evangelio Joannis *τὸ In principio*, significat ante res omnes tam corporeas, quàm spirituales; eoquod à Verbo facta sint omnia, id est tam visibilia, quàm invisibilia, & sine ipso factum sit nihil, *ὅδ' ἐν*, id est, nec unum quidem eorum, quæ facta sunt.

18.

Solutio 5.

Nec quidquam efficiunt sophismata Satanae contra vers. 14. Nam ad primum respondeo, optimam esse versionem nostram, *Et Verbum caro factum est*, quum, *ἐξ ἐντρο*, ita reddatur etiam ab Adversariis v. 3. ubi extat Græce, *παύσασι ἀντὶ ἐξ ἐντρο*, *Omnia per ipsum facta sunt*; & v. 10. *ὃς ὁ λόγος δι' αὐτὸ ἐξ ἐντρο*, *Et mundus per ipsum factus est*. Neque ad rem est exemplum v. 6. ubi *ἐξ ἐντρο* non simpliciter ponitur, ut v. 3. 10. & 14. sed cum participio *παρεσυνέμενος*, *Misfusus*. Est autem certa regula, quod *ἐξ ἐντρο* quando cum participio jungitur, significat, *fuit*, aut, *erat*, ut observarunt quoque Valla, & Erasmus. Alterum est argumentum procusum in officina Eutychianorum, qui post unionem Verbi Divini cum humana natura, hanc fuisse absorptam putabant: quibus respondetur, Verbum factum non esse carnem conversione humanæ naturæ in Divinam, sed assumptione humanitatis; ut probat Chrysostomus Hom. 11. in Joannem ex verbis sequentibus, *Et habitavit in nobis*: quæ non mutationem divinitatis significant, sed habitationem, & commorationem: ut dicam in lib. de Incarnatione. Quamquam si vera esset etiam hæresis Eutychiana, ita retorqueretur argumentum adversus Socinianos: Antequam aqua fieret vinum, erat aqua: antequam virga fieret coluber, erat virga; antequam mulier fieret statua salis, erat mulier: Igitur antequam Verbum fieret caro, erat Verbum. Ad ultimum, concedo Verbum factum esse carnem mortalem & infirmam; at nego antequam id fieret, non præexistisse. Carnem autem, non animam, commemoravit Joannes, aut per synecdochen, ut Pl. 62. 2. *Ad te omnis caro veniet*, aut ad commendandam magis dilectionem, & humilitatem Filii Dei; ut probat lib. 83. Quæst. q. 80. S. P. Augustinus.

19.

Opp. 3. contra 4. argumentum. Quod Objectione 3. PP. Antenicæni asserant Filium Dei olim



lim Patriarchis apparuisse, nullum est ad probandam hujus præexistentiæ argumentum. Ergo &c. Prob. ant. Exodi XIX. 20. habetur descendisse Dominum in Sina, & cap. XX. dedisse legem Moyse, & in Epist. ad Hebræos cap. 2. v. 2. & in Act. Apost. cap. VII. v. 30. habetur legem datam fuisse per Angelos. Item Deus, qui Genes. XVIII. 1. 2. apparuit Abrahamo, ut colligitur ex Epist. ad Hebræos cap. XIII. v. 2. fuit Angelus. Igitur nunquam in veteri Testamento Deus apparuit. Præterea hæc antiquorum PP. opinio non solum nullum habet in Scripturis fundamentum; verum etiam Scripturis è diametro opponitur: quippe ex eadem Epistola ad Hebræos cap. 1. Deus novissime locutus est nobis in Filio. Ergo non per Filium, sed per Angelos loquebatur olim Patribus, ac Prophetis.

20.  
Solutio objectionis.

Resp. nego ant. ad probat. dico non unam esse Patrum sententiam circa apparitiones Dei in veteri Testamento; nam quidam arbitrati sunt apparuisse Filium Dei visibilem speciem assumendo, & propterea dictum fuisse Angelum, quasi missum à Patre, quemadmodum appellatur ab Esaia cap. IX. 6. alii docent revera apparuisse Angelos, sed in his fuisse ipsum Filium Dei per singularem assistentiam, & præsentiam. Prima est opinio Patrum Antenicænorum; secunda Hieronymi, Augustini, Gregorii Papæ, Fulgentii, aliorum, *Apparuit Angelus*, (inquit S. P. lib. 3. contra Maximinum prope finem) *in Angelo autem Deum fuisse quis dubitat?* Sive uni, sive alteri sententiæ subscribas; fateri debes olim Filium Dei apparuisse, neque pugnare inter se recentiores, ac veteres Patres.

21.  
Roboratio Solutionis.

Certe quod ipsemet Filius Dei apparuerit, valde probabiliter Patres affirmarunt. 1. Quia Num. XXI. 5. legitur Hebræos tentasse Dominum, qui illos

eduxerat de Ægypto, & eam ob rem misisse Dominum in populum ignitos serpentes. Et in 1. ad Corinth. cap. X. 9. habetur, tentasse Christum. Christus ergo erat Angelus, qui eduxit Hebræos de Ægypto, & de quo Deus Pater ait Exodi XXIII. 20. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via.* 11. Observarunt eruditi viri in iis Scripturarum locis, in quibus Dominus apparuit, vel allocutus est homines, haberi in Onkelos, in Targum Jonathanis, & Ierosolymitano Dei מַלְאָכָא, *Verbum*: quod mire confirmat veterum opinionem. Tertio: Cum habeatur ex Proverb. VIII. omnia facta esse per Dei Verbum ac Sapientiam; haud incongrue dicitur etiam per Verbum & Filium Dei mandata, & magnificentiam Patris hominibus innotuisse.

22.  
Explicatio ulterior.

Hanc sententiam si substinere velis, dicas legem datam per Angelos fuisse, quoniam Filius Dei daturus legem choris Angelicis stipatus apparuit, ut habetur Deut. XXXIII. 2. Ex Angelis, qui apparuerunt Abrahamo primum quidem fuisse Deum, & cæteros veros Angelos, cum ex toto cap. XVIII. Gen. constet Abraham cum uno duntaxat suppliciter egisse, à quo separati sunt alii duo, qui venerunt Sodomam: cum quibus Loth pluraliter loquebatur, & qui ministri erant illius summi Angeli, & Domini, quem Abraham adoravit. Novissime denique Deum locutum nobis in Filio unito substantialiter naturæ humanæ; per quem olim loquebatur multifariam, aut in specie visibili non hypostatice unita, aut in visione, & in ænigmatibus. Verum propter aliorum Patrum, Magistrorumque auctoritatem nolo interim hanc definire questionem. Ut ut sit, affirmarunt veteres Filium Dei apparuisse Patriarchis: igitur tanquam certissimum supponebant, Filium Dei tunc extitisse.

## CAPUT IX.

Dei Patris esse Filium unicum, verum, proprium & naturalem.

### SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. Propugnatur, esse Deo Patri filium ab eo genitum, id est, non adoptione, & gratia, sed generatione, ac naturalem.

à num. 6. usque ad 16. Arii, & Socini Gregaribus respondetur.

De æterna Patris Generatione.

**S**EQUITUR quæstio de æterna Patris generatione, quam Anti-Trinitarii aggrediuntur: de qua hanc thesim Catholice pronuntiamus.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

**PROPOSITIO:** Est Deo Patri Filius ab eo genitus, id est, non adoptione, & gratia, sed generatione, ac natura.

Ex veteri Testamento probatur. Nam

1.  
Propositio.

F 2

Psalm.



Probatio 1.  
ex veteri te-  
stamento.

Psal. 2. 7. legimus; *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Ad Davidem hæc referunt R. Kimchi, Saadias, & etiam Grotius. Sed ad Messiam spectare fatentur R. Selomoh Jarchi, Jonathan, & Aben-Ezra; imo mystice ad Christum pertinere primi quoque declarant. Profecto de Christo dictum constat ex Epist. ad Hebræos cap. 1. & ex Act. Apost. cap. 13. 24. & sequentibus. Christus ergo est Filius Dei: & quidem filius ab æterno, & filius generatione. Ait enim Psal. *Hodie genui te.* Hodie adverbium est æternitatis, ut in hunc locum observat S. P. Augustinus; quia in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantum. *Genui* absolute prolatum veram significat generationem. Ergo habet æternus Pater filium à se genitum sibi que coæternum. In Psalmo pariter cix. 3. habetur: *Ex utero ante luciferum genui te.* Quem psalmum de Christo dictum satis licet ex cap. 22. 11. Matth. v. 44. Octavo Proverbiorum habentur similia. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* 24. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* 25. *Ante colles ego parturiebar.* 30. *Cum eo eram cuncta componens, &c.* Perperam hæc de Sapientia, quatenus attributum est, hæretici interpretantur. Quis enim ignorat, possideri, concipi, parturiri connotare Filii personam? Quis neget illum, qui adest summo Deo, qui cuncta componit, qui ludit in orbe terrarum, esse rem aliquam subsistentem? Si Filii generationem vellet quis recensere, possetne expressius illam describere?

2.  
Probatio 2.  
ex novo te-  
stamento.

Probatur 2. Ex novo Testamento. Joan. 1. 18. hæc extant, *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ubi de hoc filio dicitur v. 15. fuisse ante Joannem. 11. Dicitur omnes de plenitudine ejus accipere: dicitur ipsum solum Patrem vidisse, quod de comprehensione constat accipiendum: dicitur tollere peccata mundi: dicitur esse auctorem gratiæ, quemadmodum Moyses fuit auctor legis; & à priori versu ad ultimum plurimis divinitatis characteribus insignitur. Et cap. v. 17. ait Dominus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Hinc Jesum verissimum esse Dei filium ratione multiplici evincit. 1. Quia ut solveret Judæorum objectionem, quod non esset languidus sanandus sabbato: respondet se eadem opera Patris implere, & quæcunque ille

facit hæc & filium similiter facere; videlicet & Patrem & Filium post rerum creationem non posse ab opere revera cessare, & licet sabbato nihil fuerit productum, & hominibus ab operibus servilibus sit abstinendum; Patrem tamen ac Filium suum, *usque modo*, continuo scilicet, & incessanter operari conservando, benefaciendo, sanando. 11. Sequitur Joannes v. 18. *Propterea ergo magis querebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Habet Græca *πατέρα ἴδιον, Patrem proprium.* Et ob hanc præcipue causam mortem illi intentarunt; quare si Filius non fuisset verus Deus, videretur Judæorum scelus aliqua ex parte excusandum; eo vel maxime, quod illum adjurante Pontifice, Matth. xxvi. 63. an revera esset Dei filius, se esse confessus est, nec diluit illatam sibi accusationem blasphemiam. 111. Scribit ibidem Joannes, sicut Pater suscitavit mortuos, sic & filium vivificare quos vult: tam illum, quam istum habere vitam in semetipso: utrumque esse eodem jure honorificandum ab omnibus. Plura sunt hujus generis in Evangelio Joannis, quæ ut simus breviores, omittimus.

Neque dissentit Evangelista Matthæus: cuius insignem locum produximus principio capitis iii. Addamus præclarissimam Petri confessionem cap. xvi. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi.* Hæc emphasi non intelligitur duntaxat Jesum esse Christum, esse Messiam, esse filium Dei adoptivum; quippe id antea Petrus audierat ab Andrea, ut constat ex cap. 1. Joannis 41. sed hæc fuit revelatio æterni Patris, non carnis & sanguinis, nimirum mortalis hominis. Quare ob talem veram, eximiamque confessionem meruit Petrus cæteris Apostolis anteponi, & distincto laudis præconio à Domino celebrari.

Prætermittendus non est Apostolus Paulus, qui in Epist. ad Hebræos cap. 1. v. 2. scribit: *Novissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Ubi plurimis characteribus æternam designat generationem. Nam 1. ait per hunc filium condita esse sæcula: ita appellantur metonymice spiritualia. Ac nota particulam *Per*, non vertendam esse, propter, quasi propter Christum Deus mundum condiderit; tum quia græce extat δι, & propositio diæ cum genitivo causam significat effectricem: tum quia v. 10. de hoc filio dictum asseritur. *Tu in principio, Domine, terram fundasti.* Ergo



Ergo Filius iste omnium rerum creator est. II. Appellatur splendor, & character paternæ gloriæ; quibus demonstratur esse generationem ejus naturalem, cum sit splendor & imago Patris, & ab eo tanquam lux à sole processerit: unde recte habet Syrus **נִרְאָה**, *Germen*. III. Dicitur: *portans omnia verbo virtutis suæ*, id est omnia comprehendens, & continens, quibus exprimitur summa Christi potestas, ac plenissima omnipotentia, IV. Ait Apostolus *hunc filium sedere ad dexteram maiestatis in excelsis*. Extat græce **ἐξ ὑψώτου**, & hebraice, **כְּכֹרֶן**, *Throni maiestatis*. At Thronus maiestatis ubique eandem summam Dei gloriam significat, ut in hunc locum ostendit Grotius. V. Affirmat Paulus, hunc Filium esse tanto Angelis sublimiorem, quanto differentius præ illis nomen hereditavit: quod est nomen Filii Dei nulli Angelorum concessum, *Cui enim* (inquit v. 5.) *dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Atqui etiam Angeli dicuntur in sacris literis filii Dei, ut Psalm. LXXXVII. & Job. I. 6. II. I: eoquod & ipsi filii sint adoptione: Si ergo Christus singulariter Filius appellatus est; non adoptivus erit, sed proprius, unigenitus, ejusdemque confors naturæ. VI. Vocat Apostolus hunc Dei filium v. 8. Deum v. 12. immutabilem, v. 14. singulis Angelis, ac ministris longe præstantiorem: nec poterant de vero Deo digniora, ac sublimiora nuntiari.

Tertio probatur ex Patribus Antenicænis: inter quos asserunt primo quidam Eruditi Epistolam Sancti Barnabæ, sed cum dubiam censeat Joannes Baptista Cotclerius, incerti auctoris Menardus, & exaratam post tempora Barnabæ Jacobus Armachanus, non opus est hanc proferre. Citabimus nos Hermam, de quo habes iudicium nostrum supra cap. v. Is similitudine IX. ait: *Filius quidem Dei omni creatura antiquior est*. Accedit Ignatius in Epist. ad Magnesianos: *Qui ante secula apud Patrem erat, & in fine apparuit*. Iustini Philosophi ac Martyris in Apologia hæc sunt verba: *Porro filius ejus, qui solus proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens, & nascens, quoniam per eum prinitus cuncta condidit, & ornavit*. Tatianus etiam in Orat. contra Græcos, inquit: *Verbum igitur illud caeleste, Spiritus à Patre genitus, & ratio ex rationali potentia, &c.* Consimilia habet Athenagoras

in Legatione pro Christianis: in qua appellat Christum *Primogenitum Patris progeniem, ex ipso prodeuntem, ut rerum cunctarum idea & energia foret*. Irenæus denique lib. IV. adv. hæreses cap. 7. *Hic enim Filius, qui est Verbum Dei ab initio præstruebat, non indigente patre Angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat*.

Ex dictis etiam Theologica efficitur ratio: quippe Generatio definitur origo viventis à vivente in similitudinem naturæ: Verbi processio est hujusmodi: Ergo est generatio. Minor probatur; nam Joannis XVI. 28. ipsemet Christus ait: *Exivi à Patre, & veni in mundum*: Ps. 2. 7. inquit idemmet Pater: *Hodie genui te*: Ad Galat. IV. 4. *Misit Deus filium suum*. Quibus constat Verbi à Patre origo, ac processio. Rursus Joannis I. 4. legitur, *In ipso vita erat*. v. 26. *Dedit filio habere vitam in semetipso*: & Epist. I. cap. I. 2. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. His verbis Filium viventem esse nemo non videt. Et denique ad Hebræos I. 3. appellatur filius *Splendor gloriæ, & figura substantiæ patris*, quemadmodum Sap. VII. 26. *Candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*. Is vero paternæ Gloriæ ostenditur in Filio similitudo. Quare nulla in eo deest germanæ conditio generationis.

#### ARIÏ, ET SOCINI GREGALIBUS RESPONDETUR.

Opponebant Ariani I. Verbum non Dei filius unigenitus est, sed quasi unigenitus, dicente Joanne cap. I. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti, &c.* Non est ergo Unigenitus, proprius, ac naturalis. II. Cap. X. 36. *Quem Pater sanctificavit* (inquit Salvator noster) *& misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemus: quia dixi, Filius Dei sum?* Filius est ergo non natura, sed adoptione per sanctitatem, & gratiam. III. Appellatur ab Apostolo ad Colossens. I. 15. *Primogenitus omnis creatura, & v. 18. primogenitus mortuorum*. At primogenitus alios ejusdem conditionis filios connotat. Quare cum omnes alii sint filii adoptivi, etiam Christus in istorum numero comprehenditur. IV. In priori ad Corinthios cap. XV. 28. hæc leguntur: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subjectus erit*

F 3

4.  
Probatio 3.  
ex Patribus  
Antenicæ-  
nis,

6.  
Obiectio 1.  
Arianorum.  
& similes



ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Est ergo Christus Filius Dei sola administratione, & principatu Ecclesiae, quam illi Pater cum plena potestate subiecit, ita tamen, ut absoluto temporalis Ecclesiae regimine ipsemet Filius commissum sibi resignet imperium.

7. **Solutio ob-jectionis.** Resp. ad 1. Verbum esse unigenitum Patris proprium ac naturalem, in sinu Dei reconditum, Patremque suum comprehendentem, ut affirmat Joan. cap. 1. v. 18. Neque oppositum probat particula *quasi* superioris versus 14. nam graecum *ὡς*, *quasi*, est ut plurimum *ὡς*, sive ut Hebraei appellant, **לְאִמְתָּהּ** **כִּי** scilicet definitivum, atque, ut scribit hom. 11. in Joannem Chrysostomus, *ἐξ ἀποδείξεως, ἢ ἀναμνηστικῆς διόριστος*, Confirmationis, & indubitatae determinationis. Ita Matthaei xiv. 5. legimus: *Quia sicut Prophetam eum habebant* Gr. *ὡς προφητῶν*, & in Epist. ad Philem. ut Paulus, Graece, *ὡς Παῦλος*. Et est etiam consuetudo sermonis Regem maiestate, regali-que comitatu incedentem, sic paucis describere, vidimus magnificentiam, ut regis. Videatur citato loco Chrysostomus. Quod opponunt aliqui Lucae 111. 23. in his verbis, *Erat incipiens quasi annorum triginta*, τὸ *quasi* diminutivum esse, nihil efficit: quippe non extat hoc loco *ὡς* *ὡς* *ὡς*, *quasi* *definiens*, sed *ὡς* *quasi* *indeterminatum*. Accedit participium *Incipiens*, quo innuitur sequentis adverbii, *quasi*, significatio: qui enim trigessimum annum incipit, nondum complevit. Sed neque conveniunt Chronologi de anno quo Christus ad baptismum accessit, & an incepit, an expleverit annos triginta.

8. **Solutio 2.** Ad secundum respondet Estius Com. in Joannem non probare Christum hoc argumento se esse filium Dei, sed se non male & inconvenienter fecisse, quod se dixerit filium Dei. Si enim homines, propterea quod ad illos sermo Dei factus fuerit, Scriptura vocat Deos; quanto iustius ille, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum absque suspitione blasphemiae vocare se poterit filium Dei? Refellit ergo Judaeorum calumniam argumento quod appellant à minori ad majus. Caterum hinc etiam eruitur Christum esse filium naturalem. 1. Quia se praefert omnibus, quos vocat lex Dei filios; ideoque non est ipse, ut alii sunt, filius per adoptionem. 11. Quia nemo dicitur mitti in aliquem locum nisi antea alibi fuerit; & consequenter, ut ait S. Thomas lect. 6. in cap. x. Joan.

*Quem Pater misit in mundum, est filius Dei, qui in aeternitate praexistit.* 111. Quoniam, ut argumentatur Augustinus Tract. 48. in Joan. dixerat Christus paulo ante, *Ego, & pater unum sumus*: quod constat accipiendum esse de unitate potestatis, ideoque & substantiae: his enim probat neminem posse de manu ejus suas rapere oves sicuti nequeant rapi de manu Patris. 1v. Quod Judaei sustulerunt lapides ut eum lapidarent, videntes se facere filium Dei. Ex qua criminatione colligitur revera Dei filium esse: quandoquidem si non agnovisset verum esse quod objiciebatur, debuisset pro Dei honore crimen obiectum refellere, dicendo, *Non sum Deus*, sicut fecit Joannes dicens, *Non sum ego Christus*. Neque refert, dici Christum sanctificatum à Patre: quandoquidem sanctificavit illum Pater, quando genuit, ait Augustinus. Sanctificavit quoque ipsius humanitatem quando filium misit inquit libro de Trinit. vii. S. Hilarius.

Ad 3. Resp. Christum dici juramento *primogenitum*. Primo quia haec vox non solum est ordinis (quo sensu non convenit Christo, qui est unigenitus) sed etiam dignitatis, ut Gen. 49. 3. vocatur *primogenitus major in donis, & prior in imperio*. Deinde quia prior est genitus à Patre, quam ulla creatura; ut habetur Prov. viii. 22. Est enim *Primogenitus*, quasi, *prius genitus*. Praeterea quia *Primogenitus* est princeps fratrum suorum, & Christus in Ecclesia primatum tenet: unde Apocalyp. 1. 5. appellatur, *Primogenitus mortuorum, & princeps regum terra*. Rursus, quia *primogenitus* erat haeres paternorum bonorum, à cujus manu reliqui partem capiebant hereditatis: & Filius est *haeres universorum*, ut ait Apost. ad Hebraeos 1. 6. & ipse fecit nos *regnum Patri suo*, ut habetur 1. Apocal. 6.

Ad 4. respondent quidam: Filium debellatis hostibus, & omnibus in potestatem redactis, subijciendum esse Patri in Corpore suo mystico, quod est Ecclesia: quorum responsio Athanasii, Theodreti, Gregorii Theologi, & Ambrosii nititur auctoritati. At alii cum Hieronymo, & Augustino censent Christum subijci Patri juxta dispensationem carnis assumptae. Et sane de Christo ut homine Apostolus toto illo capite verba facit. Inquit vero subijciendum in fine saeculorum, non quod subiectus modo non sit: sed, ut scribit S. Pater libro contra Sermonem Arianorum cap. xxxvii. *Ne quis in eo putaret spiritum, & corpus humanum aliqua conversione peri-*



peritum. Nec mirum; id enim opinati sunt Sabelliani & Marcionitæ, de quibus agit Ambros. lib. v. de Fide cap. vii. nec non quidam Ariani, quos perstringit loco citato Augustinus.

II. Obiectio 2. Wolzogenii.

Opponit 2. Wolzogenius. Causæ, ob quas Christus Dei sit filius quatuor potissimum in sacris literis memorantur, quarum nulla est vera ac propria generatio. Prima causa est, quia absque operatione viri ullius, virtute Spiritus Sancti immediate in utero Virginis conceptus est, nullumque adeo alium patrem præter ipsum Deum habuit. Quam causam indicavit Angelus, Mariam sic alloquens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.* Altera causa est, quia à Patre sanctificatus, & in mundum missus, de qua supra. Tertia, quia eum Deus suscitavit à mortuis, atque ad vitam immortalem denuo quasi genuit. Hanc causam allegat Paulus in sua Concione, quam habuit Antiochiæ, ubi inter cætera sic fatur: *Annunciamus vobis promissionem, quæ facta est patribus, quod eam Deus impleverit nobis filiis eorum, dum resuscitavit Jesum; sicut etiam in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te, Act. xiii. 32. 33.* Quarta causa est, quia eum ad dexteram suam collocavit in cælis, donavit illi nomen, quod est super omne nomen, constituit eum Judicem vivorum & mortuorum: ob quam Divinam sublimitatem, & similitudinem cum Deo est ille in summo gradu, & perfectissima ratione Filius Dei.

12. Solutio

Resp. hæc omnia sempiternam, divinamque generationem non evertere, sed confirmare. Enimvero Lucæ 1. 35. prænunciat Angelus: *Quod nascetur ex te, vocabitur filius Dei; hoc est, non solum qui à sinu Patris in utero tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit tibi, ex hoc jam vocabitur filius Dei, quemadmodum is qui à Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque amodo reputabitur Filius.* Ita Bern. hom. 1. de laudibus Virginis. In hujus autem interpretationis præsidium adverto primum particulam *Ideo* ex præcedenti sermone consequentiam inferre: quapropter sensus est, *Quia Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quo simul mira naturæ Divinæ, & humanæ declaratur unio, igitur quod nascetur ex te vocabitur, & erit Filius Dei. Ad hæc observo cum Gregorio

Magno lib. xviii. Moral. Job. 17. *Obumbrationis* vocabulum utramque significare naturam: umbra enim à lumine formatur, & à corpore: & Dominus per divinitatem lumen est, & per humanitatem corpus. Rursus animadverto cum eruditis viris haberi *Sanctum* neutrius generis, quod argumento est, Filio Virginis sanctitatem inesse essentialem, non, ut ita dicam, adjectivam. Item legi in Aethiopica versione, ubi nostra habet, *Hic erit magnus, Hic erat*, distinctis quoque characteribus: ut Tom. v. Polyglottæ Waltonianæ p. 249. Noto etiam supernaturalem Christi conceptionem peractam virtute Spiritus Sancti satis declarari illis verbis, *Spiritus Sanctus superveniet in te*: sequentia ergo innuunt aliquid præstantius, nempe unitiorem Divinæ, humanæque naturæ. Postremo neminem negaturum puto, quod Christus Dominus potiori jure sit filius Dei, quam Adam, quem tamen ex terræ sinu absque matre Altissimus procreavit; sed de priori causa jam satis.

Ad tertiam (de altera enim supra) do

13. Solutio alterior.

Wolzogenio illud Psalm. 2. *Ego hodie genui te* etiam de Resurrectione dictum esse. Ita docent quippe nobilissimi Interpretes Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius. Sed excludi inde generationem æternam, perperam hæreticus jactitat. Locum Psalmi de imperceptibili divinaque generatione exponunt Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius: de temporali Athanasius ipse, Fulgentius, Euthymius: de resurrectione illi, quos jam memoravi. Neque tamen discrepant inter se. Statuendum primo hic Divinam probari generationem: quod præstat eruditissimus Bosluetius ita singulas particulas pensitans: *Dominus*, inquit, *dixit ad me*; non ad alios, sed ad me proprie, singulariter: *Filius meus es tu*; tu, inquam, & non alius. Ergo unicus, unigenitus, singularis. Quod nusquam ea emphasi dictum de quopiam. *Ego hodie genui te*: non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus: nec gratia, quod Angeli, quod homines; sed natura filius. Et quidem Apostolus ad Hebræos 1. de propria, ac vera generatione hunc locum accipiendum esse declarat. De temporali Christi conceptione dictum quoque perquam optime. Nam etiam si Pater de sua substantia nequaquam humanam Christi naturam genuerit; temporali tamen generatione factum est, ut filius hominis fieret filius Dei naturalis, ob



ob unionem, quam dicimus hypostaticam. Non aliter de resurrectione dicendum est. Ad hanc spectat illud *Hodie genui te*, quoniam Christus resurgens à mortuis se verum filium Dei manifestavit. *Pulchre autem Pater dicit ad filium: Ego hodie genui te, hoc est, quando redemisti populum, quando ad celi regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum te esse filium:* inquit lib. III. de Sacramentis cap. 7. Ambrosius. Præterea Christi resurrectio nihil aliud fuit, quam æternæ ejus generationis progressus: cum enim natus sit filius Dei vivi, & ipse vita sit, necesse fuit, ut iterum ederetur, & quodammodo gigneretur; ait præcatus Meldensis Episcopus. Ipse Christus Joannis XVII. 5. ita Patrem oravit: *Clarifica me tu, Pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Ergo claritas & gloria resurrectionis nihil est aliud, quam revocatio Unigeniti Dei ad vitam, & jus originis suæ. Sive ergo de sempiterna generatione, sive de conceptione temporali, sive de resurrectione ex mortuis egregium Psalmi locum accipiamus, idem omnino concluditur.

14.  
Solutio;

Ad quartam causam satis erit, si dixerimus omnes recensitas; aliasque Christi prærogativas ab æterna generatione, tanquam à primo fonte manare.

15.  
Obiectio 3.  
Zwikeri.

Opp. 3. Zwikerus: Antenicani Patres, præsertim Herma, affirmant Filium Dei esse antiquiorem omni crea-

tura, non generatione, sed prædestinatione. Nam Visione II. similia profert Herma de Ecclesia, dicens: *Omnium prior creata est, ideo unus: & propter illam mundus factus est.* At Ecclesia est prior tantum prædestinatione. Ergo & Filius Dei. Addit Auctor Irenici Irenicorum, Hermam similitudine v. Filium cum Spiritu Sancto confundere, dum ait *Filius Dei Spiritus Sanctus est.*

Respondet Joannes Ernestus Grabe in notis ad Bullum, Hermam putasse animas principio creatas antequam unirentur corporibus, (quem errorem tribuunt etiam Auctori Recognitionum Pseudo-Clementis, & defendit postea Origenes) atque Ecclesiam creatam initio sæculorum ratione animarum. At quare non dicam potius creatam à principio ratione Angelorum, quorum pars ad Ecclesiam triumphantem pertinet? Nul- lum est igitur argumentum Zwikeri, & nulla erroris Hermæ probatio. Recte quoque Filius vocatur Spiritus, quod nedum est nomen particularis personæ, sed etiam Deo, Angelisque commune. Ita Filium dixerunt Spiritum Tertullianus in I. contra Marcionem, Lactantius lib. IV. de Sapientia cap. 6. Cyprianus de Idolorum vanitate, & alii. Nota sunt carmina Prudentii in Apotheosi:

*Spiritus ille Dei, Deus & se corpore Matris*

*Induit, atque hominem de Virginitate creavit.*

16.  
Solutio.

## CAPUT X.

Joannis Ludovici Wolzogenii adversus Divinam generationem sophismata.

### SUMMARIUM.

à num. I. usque ad ultimum enervantur argumenta, quæ primum Arianæ; dein fra-

tres Poloni, & hos inter Wolzogenius congesterunt.

Wolzogenii  
sophismata  
contra Divi-  
nam Gene-  
rationem.

**H**ACTENUS argumenta directe contra Scripturas ac Patres pugnantia. Sequuntur ea, quæ syllogizando primum Arianæ, deinde Fratres Poloni, & hos inter Wolzogenius, congesterunt. Sunt autem hujusmodi.

I.  
Obiectio I.

I. Si Pater, qui omnium confessione est summus Deus, aliam personam ex essentia sua genuerit, sequeretur alium Deum genuisse: quemadmodum fieri videmus in humana generatione, ut Pater quando filium ex essentia sua gignit, alium hominem gignat. Itaque per istam generationem ex uno Deo fient duo Dii, sicut in humana generatione ex uno homine fiunt duo homines.

Quemadmodum enim in generatione humana Pater & Filius habent numero distinctam essentiam, quia Pater habet essentiam suam à seipso, Filius essentiam suam accepit per generationem à Patre: ita in Divina generatione erit statuendum. Ideo hanc sententiam tempore Nicæni Concilii, in quo Arius damnatus est, viguisse inter Patres, ex Symbolo illius Concilii liquet; ubi Christus dicitur esse *Deus de Deo.*

Resp. negando sequelam. Quando enim inter Deum & creaturas comparatio instituitur, debemus omnem imperfectionem istarum ab illo remove- re; quemadmodum in eo asserentes natu- ram,

2.  
Solutio.



nam, operationes, potentiam, aliaque id genus, omnem amovemus conditionem mutationis, accidentis, qualitatis, & ceteras imperfectiones, quæ insunt creaturis. Generatio est origo unius personæ ab alia cum naturæ similitudine. Quod gignens, & genitus sint res subsistentes, & ille huic naturam ac proprietates communicet, perfectio generationis est. At quod Genitor tempore præcedat genitum, quod natura dividatur & abscindatur, quod generatio sit actio accidentalitatis, fiatque feminis decisione, quod factus paulatim formetur, habeatque incrementa; id non ad generationis essentiam, sed ad defectum pertinet creaturarum. Itaque dico in hominum generationibus filium esse hominem diversum à patre, quoniam natura corporum non est simplex, sed fluida, & generatio ex materiæ effluxione peragitur: at Deus cum sit impartibilis, gignendo non dividit essentiam, nec influxio in ipso est, ut in hominibus. Atque ita respondent Arianis similia objicientibus Athanasius, Gregorius Nyssenus, Hilarius.

3.  
Solutio ult.  
rior.

Quod de Patribus Nicæni Concilii ad-  
dit hæreticus, maxima est ingenuæ ipso-  
rum fidei calumnia. *Dei* nomen ali-  
quando pro Persona, aliquando pro  
essentia accipitur, ut ait lib. III. cap. 4.  
& 11. Damascenus, & nos ostendimus  
cap. VI. ad 8. opp. Appellatur ergo *Dei*  
filius Deus de Deo, id est, Persona Divina  
ex persona Divina: quomodo dicitur Ec-  
clesiastici ultimo *Invocavi Dominum pat-  
rem Domini mei*, & Psal. 109. *Dixit Do-  
minus Domino meo*. Quapropter hæc pro-  
positio, *Deus genuit Deum*, vera est: hæc  
autem, *Essentia genuit essentiam*, aut, *Dei-  
tas Deitatem*, à nullo Catholicorum ad-  
mittitur. Etenim prior terminum ha-  
bet concretum, altera abstractum. Ista  
autem, *Filius est ex substantia Patris*,  
vera est, & Catholica, quia substantia  
jungitur personæ generanti. At si ab-  
solute diceret, *Filius est ex essentia*, aut  
*divinitate*, falsa esset enunciatio; quo-  
niam essentia communis est, non gene-  
rans, neque genita.

4.  
Instantia  
cum solu-  
tione.

Dices: Si Deus genuit Deum, vel  
genuit se Deum, vel alium Deum; non  
genuit se, quia nulla res potest se ipsam  
gignere; non alium Deum, quia unus  
est Deus. Ergo Deus Deum non genuit.  
Resp. dist. majorem: vel genuit se, vel  
alium Deum; id est genuit aliam perso-  
nam quæ est Deus; conc. personam ha-  
bentem aliam divinitatem nego. Plura  
de hoc argumento Gregorius Ariminen-  
sis Distinct. IV. Q. I.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

Insurgens: Deus Pater genuit Deum  
qui non est Pater: Deus, qui non est  
Pater, non est verus Deus: Ergo Deus,  
quem genuit Pater, verus Deus non est.  
Resp. dist. majorem. Genuit Deum,  
qui non est Pater, si nomen *Dei* suppo-  
nat pro divinitate; nego suppositum,  
quippe, ut diximus, divinitas non gigni-  
tur, neque gignit: si supponat pro Per-  
sona, concedo majorem, & nego mi-  
norem.

5.  
Instantia  
cum solu-  
tione.

Opp. 2. Pater, & Filius eandem nu-  
mero essentiam habent. Igitur Filius  
dum ex Patris essentia est genitus, simul  
& ex sua essentia genitus erit: Ergo est  
sui ipsius Filius, & sui ipsius etiam Pater.

6.  
Obiectio 2.

Resp. dist. conf. Filius de Patris es-  
sentia est genitus, scilicet de Patre, qui  
est sua essentia, concedo, de essentia, quæ  
à Patris proprietate separata percipitur;  
nego. Dum profiteamur Filium ex Pa-  
tris essentia esse genitum, non fatemur  
Divinam essentiam absolute acceptam es-  
se principium generationis: ita enim se-  
queretur præfatum absurdum, quod Fi-  
lius sit ex essentia sui ipsius, quia habet  
eandem cum Patre naturam: sed dici-  
mus Filium esse genitum ex essentia re-  
lative sumpta, & quatenus est essentia Pa-  
tris, una nempe proprietate personali  
subsistens. Quamquam vero accuratius  
diceretur, Filium genitum esse à Patre,  
quam ex essentia, quia hæc nec gignit,  
nec gignitur; admittimus tamen hunc  
loquendi modum, propterea quod Pa-  
ter qui generat est sua essentia, & Fi-  
lius genitus est ipsamet essentia Patris.  
Sed legite Sanctum Patrem Augusti-  
num xv. de Trinit. cap. 3. & 14.

Solutio.

Opp. 3. Ab omni æternitate Deus  
summus extitit: Ergo si Filius Dei pro-  
prie generatus fuit, Deus summus non  
est; cum generatio proprie dicta sit mu-  
tatio de non ente in ens. Accedit quod  
omnis Pater semper tempore est prior  
filio. Si enim non est necesse, ut id  
quod generatur, antea non extiterit;  
poterit id generari quod jam re ipsa exi-  
stit: ac porro nihil prohibebit, eum qui  
hodie re ipsa est, nec esse desinit, cras,  
aut indies generari. Quis vero id ab-  
surdum esse non videt, & contra omnem  
generationis naturam?

7.  
Obiectio 3.

Resp. nego consequentiam; siquidem  
necesse est, ut summus Deus sit ab omni  
æternitate; sed non est necesse, ut exi-  
stens in omni æternitate sit ingratum.  
Non enim ad generationem in Divinis  
præexistentia Patris requiritur, sed suf-  
ficat conditio originis: quam Patres ad-  
versus Arianos disputantes explicant  
comparatione caloris prodeuntis ex ignis  
naturæ

Solutio;



natura, aut luminis, quod à sole diffunditur. Non enim fuit aliquando ignis priusquam gigneret insitum sibi calorem, neque sol processit de non esse principio luminis ad esse: sed statim ac producta fuerunt, ab illis caloris, luminisque manavit proprietas. Ita Deus Pater, qui fuit ab æternitate, semper Verbum genuit, ut, si extitisset sol ab æterno, semper illuminasset: unde universalis Ecclesia appellat Filium, *Deum de Deo, lumen de lumine*. Rationem hanc reddere possumus; quod generatio non sit in Deo energia, & operatio adveniens personæ, eamque de potentia trahens ad actum; neque connotet terminum extrinsecum ac mutabilem: sed est substantialis, & intrinseca, eaque Deus Pater semper est in potentia & in actu. Quæ Wolzogenius in Arianorum palæstris edoctus optime percepisset, si audito Eunomio, Cyrillum, Hilarium, aliosque Patres legisset. Nunc negamus generationem, quæ non est actio ac motus, esse transitum de non esse ad esse; & dicimus sufficere ad generationem æternam, ut Filius accipiat naturam à Patre, quam potest ab eo recipere, etiamsi sit illi coæternus. Negamus quoque omnem patrem præexistere filio; quum potius summa patris fecunditas, & generatio substantialis nullam inter genitorem, ac genitum differentiam patiatur ætatis; & illi tantum patres filios præcedant, quorum operatio non est natura, nec potentia est essentialiter actus. Postremo negamus posse hominem cras generari, qui nunc existit, quoniam generatio creaturæ perficitur tempore, in quo præteritum nequit esse futurum. At in æternitate, ubi non est antea, & post, sed immutabilis permanentia, semper Verbum gignitur ac semper est.

9.  
Instantia  
cum solu-  
tione.

Insistes: Quod corrumpitur desinit esse; ergo quod gignitur incipit esse. Resp. cum Estio dist. ix. §. 111. nego consecutionem; etenim gigni non aliud est, quam accipere esse, etiamsi non esse non præcesserit; corrumpi autem non est accipere non esse, cum non entis proprie nulla sit causa, sed est amittere esse: ideoque si proprie loquamur, sicut quod corrumpitur amittit esse, ita quod gignitur accipit esse: id, quod etiam in Filio Dei verum est. Hæc Estius.

10.  
Obiectio 4.

Oppones 4. Si Deus ab æterno genuit Filium, nunc autem non amplius gignit, factus est ex generante non generans: quæ mutatio cum non ad creaturas spectet, sed intra ipsum Deum consistat, in Deum non cadit, nec cadere ab Adversariis agnoscitur. Adde

quod Filius Dei, vel ex libera Dei voluntate, vel ex necessitate naturæ fuit à Patre genitus. Si ex libera voluntate, potuisset etiam non generari à Patre. Si autem Filius Dei poterat non generari à Patre, adeoque non existere, non est Deus summus. Quod si vero Deus filium ex necessitate naturæ genuit, perpetuo gignit; cum natura ejus sit semper prorsus eadem, & immutabilis.

Resp. ad 1. ut supra, id est, de ratione æternitatis esse, ut nihil in ea prætereant, nihil adveniat. Cum ergo generatio Divina sit æterna, impium est dicere, Pater cessavit à generando; sed ita dicendum est, quemadmodum semper fuit, & est, ita Filius semper est natus, & semper nascitur: semper fuit genitus, & semper gignitur. Nec sequitur, quod olim objiciebant Ariani, si adhuc Pater generat, nondum erit Filius perfecte genitus. Est enim semper & perfecta generatio, & perfectus terminus; quippe, ut diximus, generatio Divina non est actio adveniens, sed naturalis: neque ullus dixerit splendorem nondum perfectum, eoquod sol non cesset illum producere. Ex loquendi tamen consuetudine, etsi semper nasci filium diserte Patres affirmant, *melior est semper natus, quam qui semper nascitur*, ut ait Augustinus in libro 83. Quæst. 9. 37. nimirum accepto verbo nascendi in eo sensu, quo filius necdum perfecte natus intelligitur: vere enim semper natus est, quia semper Filius.

Huc spectat consimile reticulum Arianorum: vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem; si genuit existentem, frustra genitus est: si genuit non existentem, ergo Filius aliquando non fuit. Liquet enim ex dictis respondendum esse, generationem Divinam, cum sit æterna, tribuere Filio, ut semper sit, & semper recipiat existentiam à Patre: nec proinde destruitur natura generationis, quia hæc non consistit in productione rei prius non extantis, quod proprium est creationis, sed in origine viventis à vivente, quæ stare potest cum sola conditione originis. Ad quam originem nulla requiritur præexistentia; sed sufficit, si quod habet Filius habeat à Patre, tametsi ambo sint coæterni: quod idoneis exemplis supra explicavi. Ea propter dicendum est: Pater genuit Filium existentem, quatenus Pater semper est principium ut existat Filius; & Filius semper recipit existentiam à Patre. Si hæretici, quibuscum pugno, Patrum reciperent testimonia, producerem modo aptissima ex Basilio lib. 2. con-

11.  
Solutio.

12.  
Solutio re-  
culi Ariano-  
rum.



tra Eunomium, Hilario lib. xii. de Trinit. Cyrillo in x. Thesari, & Augustino Epist. 174. Sed perveraces præstat refutare æternitatis natura, quam nequeunt summo Deo denegare.

13. Solutio. Ad ultimum, de quo gravis olim fuit inter Catholicos, & Arianos conflictus, dico utrumque dici posse, Filium genitum necessitate, & Filium genitum voluntate, & utrumque posse etiam negari. Nam si necessarium accipias pro eo quod est naturale, & undequaque immutabile; dico cum Athanasio Orat. 2. Filium necessario productum, cum sit fœtus substantiæ, non ex deliberatione natus, ut contendit olim Eunomius. Quod si necessarium accipias pro eo, quo quispiam indiget; dico cum Augustino in xv. de Trinit. cap. 20. Filium non esse necessitate gentium, quia necessitas indigentia in Deo non est. Pari ratione si voluntarium sumas, pro eo quod non est coactum, neque vim affert inclinationi, Filius natus est voluntarie, ut inquit in lib. 1. contra Arium Marius Victorinus: non enim aut à seipso, aut à Filio, aut à Spiritu Sancto, aut à creaturis cogi potuit Deus ut gigneret Filium; quum nemo cogat seipsum, neque productum cogere possit producentem. Si vero dixeris voluntarium, quod est liberum & indifferens, ut accepit Arius in Epistola ad Eusebium Nicomediensem, & Alexandrum Episcopum Alexandriæ, nego cum Fulgentio in libro 111. ad Monimum cap. viii. gigni Filium Dei voluntarie; quia in generatione Unigeniti nulla in generante præcessit deliberatio: Denique si simul comprehendas deliberationem & indigentiam, assero cum Epiphanio Hæresi 69. & Augustino loco citato, Filium neque voluntate esse genitum neque necessitate, sed natura.

14. Quæsitum cum Responsione. Si quæras an Filius possit dici genitus ex Patris consilio; Resp. distinguendum esse; nam si consilium accipias aut pro animi deliberatione, aut pro ut imperfectam significat sapientiam, Pater non genuit Filium consilio: si autem consilium accipias, quatenus opponitur corporali passioni, sive ut idem est cum divina substantia, quæ est sua voluntas, consi-

liumque: ex consilio Patris Filium genitum esse, Synodus Sardicensis definit.

Opponit ultimo Wolzogenius: Si essentia Patris etiam Filius est, sequitur necessario etiam intellectum Patris esse intellectum Filii, atque adeo etiam opera, quæ ab intellectu Patris proficiuntur, à Filii intellectu proficisci, & promanare. Ergo si Pater per operationem intellectus sui generat Filium, sequitur Filium etiam se ipsum generare. Imo etiam Spiritus Sanctus generavit Filium, cum habeat eandem essentiam, eundemque intellectum; estque adeo Filii Pater, & origo suæ originis.

Resp. utique intellectionem qua Pater producit Filium esse eandem essentiam Patris, hanc vero cum omnibus suis perfectionibus absolutis esse tribus Personis communem; nec tamen veram esse consecutionem, quam urget hæreticus: quippe intellectio quæ producit Filium, non est substantia intelligens absolute accepta, quam appellant Theologi intellectionem *essentialem*; sed est substantia intelligens relative accepta, quam vocant intellectionem *Notionalem*. At non repugnat unam eandemque rem esse communem pluribus si accipiatur absolute, esse propriam unius personæ si accipiatur relative. Quapropter negamus operationem, qua Pater generat Filium communem esse, licet communis sit intellectio essentialis, & Pater omnia communicet Filio, excepta proprietate personæ. Vide Responsionem nostram ad 1. Oppos. cap. vi. Quod enim de essentia diximus, idem de intellectu Divino dicendum est. Atque hic sit finis nostri pro Verbi Generatione certaminis: in quo desinant aliquando hæretici humano sensu garrere, memores scriptum esse: *Generationem ejus quis enarrabit?* ab Esaia cap. liii. 8. & à Prudentio.

*Cum sit difficilis via, noscere principiorum*

*Semina: cui dabitur mortali exquirere, quidnam*

*Ultra principium Deusegerit? aut quo pacto*

*Ediderit Verbum, quod principio caret omni?*





## CAPUT XI.

Filiū Dei esse Patri Consubstantialē.

## SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. & 6. Filiū Dei esse Patri consubstantialē, probatur primò ex nominibus Dei quæ etiam filio attribuuntur.  
7. add Idem evincitur ex attributis Dei, summi, & altissimi.

8. quò ex Dei altissimi operibus.

9. 10. & 11. quò ex perfecta filii cum Patre qualitate.

12. 13. 14. & 15. Removentur aliqua contraria ab Arianis excogitata.

Quæstio de  
Consubstan-  
tialitate ver-  
bi.

**S**EQUITUR Quæstio, cuius gratia aliæ præmissæ sunt, de Verbi consubstantialitate, quæ licet ex dictis possit resolvi, cum nequeat Patri esse Filius naturalis & coeternus, quin eandem habeat cum Genitore substantiam; cum tamen plura sint scitu necessaria pro Filii huius divinitate, & item plura quæ ab hæreticis opponuntur præter hæcenus dicta; specialiter de Verbi natura hoc capite agendum est: quam eandem esse cum Patre, sequentibus argumentis demonstratur.

*Momentum 1. Ex Nominibus Dei, quæ etiam Filio tribuuntur.*

1. Momentum  
2. ex Nomi-  
nibus Dei,  
quæ filio tri-  
buuntur.

**I.** Tetragrammaton Dei nomen יהוה soli Deo vero ac summo tribuitur, ut diximus cap. 1. huius libri: Atqui nomen istud יהוה *Jehova* tribuitur Filio: Ergo Filius est Deus verus ac summus. Prob. minor 1. Esaias vi. ait: *Vidi Dominum (יהוה) sedentem super solium excelsum & elevatum.* De vero ac summo Deo loqui prophetam constat ex nomine tetragrammato; ex Searphim, quæ clamaverunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*: ex verbis ipsius Esaiæ, *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* At Esaias vidit gloriam Christi; ut habetur Joannis cap. xii. v. 41. Ergo Christus est יהוה Deus ille verus, ac summus. 11. Idem Esaias cap. viii. 13. ait: *Dominum exercituum (יהוה) ipsum sanctificate: Ipse pavor vester, ipse terror vester. Et erit vobis in Sanctificationem; in lapidem autem offensionis, &c.* Dictum de summo Deo quis non videt? Atqui Esaiam hæc pronunciasse de Christo constat ex cap. 11. Lucæ v. 34. & ex Epist. ad Rom. cap. ix. v. 32. Christus ergo Deus summus est. 111. Zacharias cap. xi. 12. scribit appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus (יהוה) ad me: projice, &c. Quæ de Christo prædicta esse liquet ex cap. xxvii. Matth. v. 9. Plura vide apud Huëtium de Demonstr. Evang. Prop. vii.

Ludovicum Habert. De Deo Trino cap. iv. &c. Quæ possent objici soluta sunt supra cap. 1.

11. Tribuitur etiam Verbo Dei nomen, quod nullibi absolute & sine addito in novo testamento de creaturis enunciat, cum tam Latinum vocabulum *Deus*, quam Græcum *Θεός* proprium sit, non appellativum, ut demonstrat lib. 111. cap. 6. Irenæus. Exemplum ex multis sit Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nonnulla de hoc textu dicamus. Respondent Sociniani Græce haberi, *ὁ Θεός ἦν ὁ λόγος*, scilicet nomen *Θεός*, *Deus* absque articulo: sine quo non potest summus ille Deus designari. Ita Faustus Socinus contra Bellarm. cap. 6. Classe 4. Hoc miserum perfidia fulcrum acceperunt ab Asterio Arian Socio, de quo orat. 111. Athanasius. At validissimis argumentis illud evertit. 1. Ipse Socinus pag. 407. fatetur regulam istam ad articulos spectantem non esse in Græca lingua perpetuam. Et quidem *ὁ Θεός* cum articulo enunciat de falsis Gentium Diis 2. ad Corinth. iv. 4. *ὁ Θεός τῶν αἰώνων*, *Deus huius sæculi*: ad Galat. iv. *τοῖς μὴ υἱοῖς τοῦ Θεοῦ*, *is qui non natura sunt Dii*, & alibi quam sæpissime. Econtra *Θεός* absque articulo verum Deum significat Matth. iv. 4. Et eodem cap. 1. Joannis v. 6. *Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ*, *Fuit homo missus à Deo*: v. 12. *τέκνα Θεοῦ γενέσθαι*, *Filios Dei fieri*: v. 13. *ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν*, *sed ex Deo nati sunt*: v. 18. *Θεὸν ἑώρακε πῶποτε*, *Deum nemo vidit unquam*, &c. 11. Si *Θεός* cum articulo designat unum summum ac verum Deum; Ergo Deus summus & verus erit Christus, quem Thomas ita Joannis xx. 28. allocutus est, *Δominus meus, & Deus meus*: Græce cum articulo *ὁ κύριός μου, & Θεός μου*; quo in loco Socinus ait pronomen *μου* impedire, quo minus de vero Deo intelligatur; sed adversus cæcam mentienti libidinem stant testimonia luculentissima Scripturarum, quæ eodem adjecto pronomine veram divinitatem compellant,

2. Probaio 2.



lant, ut Psalmo XXI. *Deus, Deus meus, respice in me*; Psalm. xxx. 15. *Ego autem in te speravi, Domine: dixi, Deus meus es tu*: aliisque locis compluribus. Ac multo minus valet, quod legerunt aliqui, præfata Thomæ verba non ad Christum referri, sed ad Patrem, quasi figuram habeant exclamationis. Etenim ex præmissa Græcorum lectione, liquet Thomæ verbis articulum, non signum admirationis præponi, & nominativum esse, *αὐτός, ὁ θεός*, non casum vocandi: atque ex contextu patet referenda illa esse ad Christum, cum quo Thomas loquebatur: quippe legitur, *Respondit Thomas & dixit ei, &c.* Quamobrem acerrimus Sociniani dogmatis propugnator Wolzogenius veritate cogente Comment. in Joan. pag. 1028. Nullo modo, inquit, audiendi sunt. qui Thomam hæc verba non ad Christum, sed ad Deum patrem protulisse censent: quasi mirabundus, oculis in cælum sublatis, dixerit: *ὁ Deum immortalem, quid video? quid tango?* 111. Cur Joannis 1. *ὁ θεός* absque articulo sit, hæc est ratio apertissima, quod articulus subiecto, non prædicato soleat præponi, ut animadvertit hom. 3. in Joan. Chrysostomus. Cui nos hæc addimus exempla, Matth. 11. 2. *σὺ εἶ ὁ χριστός, tu es Christus*. Jo. 1. 21. *ὁ προφητὴς εἰ σὺ; Propheta es tu?* Jo. 14. 24. *πνεῦμα ὁ θεός, Spiritus est Deus*; ubi articulus semper subiecto præponitur. Neque omittam ingenuum Wolzogenii testimonium, qui pag. 715. scribit: *Initio advertendum est: in Græco ordinem Verborum esse transpositum, & recto ordine ita legi deberet, Et sermo erat Deus, ut nimirum Sermo subiectum sit, Deus prædicatum: quod etiam alii, nempe Beza, Piscator, Maldonatus, & à veteribus Hilarius, & Basilus observarunt.* Quibus nos causam adversus Socinianos vicisse arbitramur.

3.  
Roboratio  
probationis.

Neque Verbum appellatum est Deus, quomodo Moyses & Propheta dicti sunt aliquando. 1. Quia id in novo Testamento est, ut diximus, penitus inusitatum, nec ullus absolute Deus nuncupatur: imo neque in veteri Testamento nomen istud reperies substitutum loco nominis *יהוה* *Jeboza*, ubi accipi minime debeat de vero Deo. 11. Quia teste Apostolo 1. ad Corinth. 8. et si Gentilibus sint Dii multi, & Domini multi, *Nobis tamen unus Deus est, Pater, & unus Dominus J. C.* ideoque si Verbum Deus est, esse debet ille idem Deus unus, qui est Pater. 111. Quia Sociniani fatentur Verbum esse Deum titulo

quodam sublimiori ac præstantiori, qui nulli convenit creaturæ: imo contendunt veram illud habere divinitatem; & ne objiciatur illis, servire eos duobus Diis, reponunt Dominum Jesum esse Deum & quidem verum, non vero Deum illum Altissimum, qui tantum unus est. Nam, inquit, divinitatem & potestatem Filius non ipse sibi sumpsit, sed eam à Deo illo uno Altissimo accepit. De hac Filii vera divinitate disputat Wolzogenius in Joan. cap. VIII. Quæ num stare possint cum vera divinitatis perceptione, judicet cordatus lector. Itaque si Verbum, horum confessione, Deus est specialissimo quodam titulo; non est profecto Deus, quemadmodum Moyses, Judices, & quotquot fuerunt divino numine afflati.

III. Non tantum Deus appellatur Christus, sed in Epist. ad Romanos cap. 1x. 5. *Deus super omnia benedictus in sæcula*: Atqui iisdem verbis describitur Deus Altissimus in Epist. ad Ephesios cap. iv. 6. Est ergo Christus Altissimus ille Deus laudibus, gratiisque in sæcula prædicandus. Cui argumento tria reponere solent Sociniani. Primo Socinus ait Deum hoc loco poni cum restrictione *Super omnia*; sed quis mente omnino non destitutus, dixerit propositionem *ἐπὶ, Super*, quæ rei ac personæ denotat præminentiam Matth. xxiv. 47. Lucæ 1. 33. Act. viii. 27. & ad Eph. iv. 6. nunc deprimere & coartare sensum verborum, sequente præsertim nomine res universas comprehendente? Porro si ita res se habeat, neque Pater erit Deus ille Altissimus, de quo citato loco Apostolus: *Qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus.*

4.  
Probatio 5.

Secundo respondet Erasmus esse *Ἐπιφώνημα*, id est, acclamationem ad Patrem; ita ut verba illa sint à præcedentibus, *Ex quibus est Christus*, interpunctione secanda. Sed contra Erasmus hæc gravissima urgemus. 1. Quod in Græco extat articulus, qui si *Ἐπιφώνημα* foret, perperam esset appositus. 11. Quoniam additur etiam participium *ὢν*, quod relationem dicit ad præcedentia, neque nota est novæ orationis, sed veteris. 111. Quia nullum Erasmus antiquorum, & optimæ notæ Bibliorum proferre potest exemplum: quod cum ipse adverteret abiit in deteriore sententiam, de qua mox disseram. 1v. Quod ipsemet Socinus interpunctionem rejiciat, ut faciunt viri fere omnes, quos Criticos sacros appellant. v. Quia Erasmi regula est Græcum articulum,

5.  
Obiectio Erasmi cum  
solutione.



dum Dei præponitur nomini, determinatam significare Personam.

6. Obiectio E. Grotius, nomen Dei in Paulinam Epistolam irrepsisse. Quod probat Erasmus, quia Cyprianus, Hilarius, & Chrysostomus videntur legisse: *Qui est benedictus in sæcula*, Dei nomine prætermisso. Grotius vero inquit neque in Syriaca reperto versione, neque consuetæ locutioni Pauli convenire, qui Patri nomen *Dei*, Filio nomen *Domini* solet tribuere. Verum respondeo: decipi Erasmus.

1. Quia necesse non est, ut ubique à Patribus Scripturarum textus integri proferantur. 11. Quia Erasmus, Auctore Petavio lib. 11. de Trinit. cap. 1x. n. 11. mendoso Cypriani Codice deceptus est. 111. Quia Erasmus temeritatis damnat & consensus vetustissimorum Codicum, & antiquorum Patrum auctoritas. Germanam namque esse lectionem nostram, constat ex Irenæo lib. 111. cap. 18. Tertull. contra Praxeam cap. 13. Novatiano de Trinit. cap. 13. August. libro 1. contra Faustum cap. 3. & 6. & aliis pluribus, quos in hac de verbi divinitate Quæstione citant L' Herminier, & Petavius, & qui hos præcessit, & Erasmus impugnavit Alphonsus Salmeron. Grotio autem respondeo: non solum in Syriaca versione nomen *Dei* reperiri, sed etiam ad Christum referri; ita enim habet Syrus: *Apparuit Mesichico in carne, qui est Deus super omnes: cui sunt laudes & benedictiones in sæculum sæculorum, Amen.* Idem habet etiam Arabicus, ut vidimus in Polyglottis. Atque his versionibus mira accedit firmitas Catholicorum sententiæ. Neque Apostolus ubi nomen Domini tribuit Filio, negat esse Deum: quod alibi demonstravimus. Sed & tribuit Christo Dei nomen ad Titum 11. 10. & 111. 4. 13. &c. Denique etiamsi *Dei* nomen deesset, probaretur inde Filii divinitas, quoniam esse benedictum in sæcula juxta Scripturarum sanctarum phrasim non potest nisi soli Deo convenire.

### Momentum II. Ex Attributis summi, & altissimi Dei.

7. Momentum 2. de Consubstantiali verbi ex attributis Dei. Probatio

Ille supremus Deus est, cui summi Dei conveniunt Attributa: Filio summi Dei Attributa conveniunt; Ergo Filius summus Deus est. Prob. minor. Summus Deus dicitur Psalmo 76. 14. *Deus Magnus*: quo nomine etiam ab Apost. ad Titum 2. 13. Christus afficitur. Ait enim Apostolus: *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Nec

valet responsio Arianorum dicentium dividendum comma, ita ut magnus Deus sit à Salvatore nostro diversus; quippe non Pater, sed Filius venturus est ad judicium; & in Græco non præponitur *σωτηρος*, *Salvatoris*, articulus, quomodo præponendus esset, si Salvator alius esset à Magno Deo. 11. Filio tribuitur Æternitas Mich. v. 2. *Egressus ejus ab initio, & à diebus æternitatis.* Quod extat hebraice *מקדם מימי עולם*

*Ante principium, ante dies sæculi.* Ubi perperam Schlichingius, & Wolzogenius solam antiquam profapiam Christi autumant designari, cum *Egressus* nativitatem, originemque significet, non familiæ nobilitatem. Nam quod ait Wolzogenius haberi hebraice plurali numero *De egressibus* ad demonstrandam longam feriem majorum; id quidem nihil nos urget, siue dicamus cum Galatino duplicem à Propheta memorari Christi generationem; siue cum linguæ Sanctæ peritis, plurali numero magnitudinem & excellentiam antiquæ nativitatæ ostendi. Egressionem vero, & originem, quod idem opponit hæreticus, non repugnare æternitati, superiori capite demonstravimus. 111. Convenit Filio etiam Omnipotentia, dicente Apostolo ad Colossens. 1. 16. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et ad Hebræos 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* De aliis Attributis vide Tournely Tom. 2. pag. 195. Juenin dissert. v. de Incarnat. Etlum dist. 9. §. viii. &c.

### Momentum III. Ex Dei Altissimi Operibus.

Inter opera, quæ Deo conveniunt, neque possunt nisi infinita virtute perfici, connumerantur remissio peccatorum, mortuorum Resurrectio, collatio Spiritus Sancti, & intima secretorum cordium cognitio; quæ à solo Deo propria omnipotentia patrari, & Sacrae literæ docent, & evidens ratio demonstrat. At Filius Dei hæc omnia virtute propria peregit. Primo Matth. 1x. 2. ait Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Atque, ut ostenderet se habere potestatem remittendi peccata, Surge, inquit, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Significari autem hoc loco potestatem divinam, non excellentiæ, quæ etiam Sacerdotibus competit, constat; nam cogitantibus quibusdam Scribis Christum blasphemare, & dicentibus in corde suo, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* videns Jesus cogitationes eorum dixit: *Ut*

quid



quid cogitatis mala in cordibus vestris, &c. Fatetur ergo se illum verum Deum esse, qui solus habet potestatem dimittendi peccata: atque, ut animadvertit Chrysostomus, talem se esse tribus miraculis comprobavit; nempe cogitationum Scribarum cognitione, peccatorum remissione, & paralytici curatione. 11. Filium Dei propria virtute à mortuis surrexisse liquet tum ex cap. 11. Joan. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; quod ut Evangelista scribit. *Dicebat de templo corporis sui: cum ex cap. x. 17. Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quorum verborum vim non tollunt quæ consequuntur: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*; ex quo Dei mandato pendebat (inquit Wolzogenius) utraque illa potestas Christi, & ponendi animam, & eandem resumendi. Quippe præceptum ad opus meriti spectat, non ad gloriam; videlicet ad passionem & mortem, non ad resurrectionem ex mortuis. Præterquam quod non pendet à Dei mandato potestas, sed supponitur. At habeat, inquit hæreticus, Christus potestatem moriendi proprie, improprie vero potestatem resurgendi, quoniam ejus resurrectio tribuitur Patri ad Galat. 1. 1. ad Ephes. 1. 17. Act. xiii. 15. Verum hanc ego ex adverso infero consecutionem: A se ipso habet Christus potestatem ponendi animam suam, & potestatem iterum sumendi eam: si prior potestas est propria, igitur & altera. Atqui potestas propria mortuos resuscitandi competit soli Deo; unde Christus dicitur resuscitatus à Patre: Ergo Christus Deus est, & habet eandem cum Patre potestatem. Præterea: Si potestas resuscitandi mortuos propria est Patris, quia ipsius virtute Christus surrexit: pari jure propria erit hæc potestas in Filio, quia in novissimo die ipsius voce, ac potentia resurgent omnes, qui sunt in monumentis; ut scribit idem Evangelista cap. v. 25. 28. Cætera, quæ addit hæreticus, se non potuisse non ridere, cum legeret apud Maldonatum, quod solius Dei est potestatem habere ponendi animam suam, non moror. Deum namque posse mori ratione humanitatis assumptæ rident tantum impii homines, qui Incarnationis mysterium ignorant: atque ita ponere animam, ut nemo hanc possit tollere vi tormentorum, quomodo ponere habuit potestatem Salyator, qui ibidem

ait, *Nemo tollit eam à me*: id quidem probat Personam posse mori, non necessitate naturæ, sed libera voluntate, & ratione formæ servilis, quam induit, non divinitatis quam non potest admittere. Hæc vero quomodo fieri possint, dicam de Verbi Dei Incarnatione. Tertia operatio solius Dei est dare, conferre, ac mittere Spiritum Sanctum: quod competere Filio ostendam inferius. Nunc præstat audire Augustinum xv. de Trinit. cap. 26. *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.* Prostrems, ut mittam creationem, & gubernationem rerum universalium, quam convenire Filio docet Joannes cap. 1. 3. & Apost. 1. ad Hebræos, &c. scrutari corda certus est divinitatis character, ut habetur Jeremiæ xvii. 10. *Ego Dominus scrutator cor, & probans renes.* Quod tribuitur etiam Filio Apocalyp. 11. 23. eique competere constat ex Evangelica historia. Profero exemplum unum ex cap. xxi. Joannis, ubi Petrus v. 17. vit: *Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amate.* Quo in loco neque Petrus erravit, qui à Christo mercedem accepit; neque Christus ex sola Patris revelatione cordis alieni penetralia cognovit, qui ideo vidit, quia novit omnia.

*Momentum IV. Ex perfecta Filii æqualitate cum Patre.*

Fieri non potest, ut non sit summus Deus, qui eadem cum Patre indiscriminatim opera perficit, qui est cum illo eadem beatorum æterna vita, ac felicitas, qui unam cum eo habet divinitatis substantiam: Talis est Filius: Ergo Filius summus & altissimus Deus est. Minor probatur quantum ad primam partem. Joannis cap. v. 17. ait ipsemet Christus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Sunt ergo eadem opera Patris, & opera Filii. Quod argumentum ut melius percipias; animadvertite primo, quod supra notavimus, Judæos hæc audientes voluisse ipsum Christum interficere: *Quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Intelligunt ergo Judæi, quod non intelligunt Ariani, ut inquit Tractat. xvii. in Joannem Augustinus. Deinde recole quæ de hoc Testimonio diximus cap. ix. Prob. 2. quoniam non solum veram Filii generationem demonstrant,

9.  
Momentum  
4. ex perfecta æqualitate Filii cum Patre. Probatur 1. pars.



stant, sed etiam inseparabilem operationem. Rursus observa, Evangelistam non scripsisse, quod Judæi quærebant Jesum interficere, propterea quod ex eorum malevolentia arbitrarentur illum se facere æqualem Deo; sed, *Quia Patrem suum dicebat Deum, & æqualem se illi faciebat*; ideoque ea verba non ex malignantium corde, sed ex Apostolica proficiscuntur auctoritate; quomodo probat Petavius lib. 11. cap. viii. n. xiv.

10.  
Probatur 2.  
Pars.

Prob. 2. pars. Idem Joannes cap. xiv. 9. refert hæc verba Christi: *Philippe; qui videt me, videt & Patrem*. Ergo dummodo videatur Filius, habetur æterna vita, & sempiterna beatitudo, & consequenter Deus est. Pro qua pariter argumentatione notanda sunt aliqua. Ac primum cum Augustino Tract. in Joannem 70. non videri unum viso alio, nisi sint perfecte similia. In exemplo, ex uno homine non cognoscitur alius, si diversam habeant staturam, diversum colorem, diversaque lineamenta. Ea propter si viso Filio videtur Pater, sunt ambo modo perfectissimo similes. At nulla creatura omnimodam habere potest cum Deo similitudinem; ideoque Filius, in quo Pater videtur, creatura nequaquam erit. Præterea, ut scribit Hom. 74. Chrysostomus, si duæ res diversam habeant substantiam, in una non potest alia videri: non enim ex auro argentum, ex equo hominem possumus recte cognoscere; Si ergo qui videt Filium, videt & Patrem, erit una, eademque substantia utriusque. Adde his quæ Joannes scribit 1. Epist. cap. v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet*; & cap. xx. *Hic est verus Deus, & vita æterna*. Male Grotius, qui Socinianis in Explicatione Joannis sæpe sæpius cohæret, illud, *Hic est verus Deus*, ad Patrem refert, ut contendit ipse Socinus in Comment. & contra Bellarm. cap. v. classe 3. argum. 12. Quamquam enim græcum pronomen demonstrativum *ὁτός*, aliquando ad remotiora refertur, (quod accidit perraro,) communiter tamen ad proxime præcedentia spectat, ut Joan. 1. 2. 7. 30. & cap. v. 6. &c. Atqui proxime præcedit, *Filius*. Ergo ad Filium attinet pronomen istud. Accedit, quod scopus Joannis in alia Epistola est demonstrare Filium esse verbum vitæ, & vitam æternam, ut constat ex cap. 1. 1. 2. Igitur scopus Apostoli exigat, ut ad Filium spectent postrema verba, *ὁτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος*. Perperam ergo conantur hære-

tici hoc evertere testimonium, quod sanctus Athanasius in disput. contra Arium habita in Nicæno Concilio appellat *Scriptam Demonstrationem*.

Tertia pars probatur ex verbis Christi Joannis cap. x. 30. *Ego, & Pater unum sumus*. Videndum est, num de unitate substantiæ loquatur Filius. De hac reapse loqui hæc argumentationes evincunt. 1. Hæc Christi sententia extendit, ut probet non posse rapi de manu Patris quidquid non potest rapi de manu filii: Ergo Patris & Filii eadem potestas est, adeoque substantia. Quod est argumentum Hilarii in vii. de Trinit. & Cyrilli lib. vii. & viii. in Joannem. 11. Ex quo nemo possit rapere oves de manu Patris, sequitur quod is major sit omnibus, ut habetur ibid. v. 29. Igitur major omnibus erit & Filius, qui addit, *Et nemo potest rapere de manu Patris mei: Ego, & Pater unum sumus*. Vide Chrysostomum Hom. 61. iii. Judæi ad præfata verba sustulerunt lapides, ut lapidarent eum de blasphemia, quia cum homo esset faceret se ipsum Deum. Ad opinionem Judæorum non corrigit, sed confirmat tum argumento à minori ad majus supra producto; cum ex operibus Patris, quibus ostendit Patrem in Filio esse, & Filium in Patre. Fatetur itaque semetipsum verum Deum esse, ac talem sese appellavisse. Præterire nolo præclaram Augustini sententiam Tract. lxxi. in Joannem. *Audi Sabelliane; usque adeo non ipse Pater, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane: usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eundem esse dicat & Patrem*. Tu adde quod tollis, tu adimple quem minuis; & nobiscum ambo consistitis. Quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui & alter est à Patre, ut convincas Sabellium, & æqualis Patri, ut convincas Ariam. Ultrique enim clamat, Ego, & Pater unum sumus. Quod ait, unum, audiant Ariani: quod ait, sumus, audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani.

12.  
Reponunt Ariani Patrem & Filium Objectione Arianorum  
unum esse voluntatis, & operationis  
consensu, quomodo Christus Joannis xvii. orat Patrem, ut Fideles sint unum dicens: *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*. Et infra; *ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Legitur & Act. iv. 32. *Multitudo credentium erat anima una, & cor unum*. Similiter in prima ad Corinth. vi. 17. *Qui adheret Deo unus Spiritus est*. Item cap.



III. ejusdem Epist. 8. *Qui plantat, & qui rigat unum sunt.* His locis, inquit, sermo est de voluntatis concordia, non de unitate substantiæ. Ergo idem est affirmandum de v. 30. cap. x. Evangelii Joannis.

13.  
Solutio 2.

Resp. 1. Quidquid sit de aliorum locorum significatione, Evangelica verba præter unionem consensus etiam substantiæ demonstrare unitatem, siue attendas Joannis scopum, qui est monstrare Patri Filioque unam esse *manum* ac potestatem, ut paulo ante dicebam: siue cum Eugenio Carthaginensi in Fidei Professione ad Hunnericum, advertas non de voluntate sita Christum agere, sed absolute proferre, *Unum sumus*, non *Unum volumus*: siue cum Augustino in vi. de Trinit. cap. 3. nullibi inveniri in Scripturis dictum simpliciter, *unum sunt* de iis, quorum est diversa natura; quod observat quoque D. Thomas lectione in hunc locum quinta.

14.  
Solutio 3.

Deinde singula expendam. Joannis xvi. 21. 22. non potest unitas designari naturæ. 1. Quod particula *unus*, sicut similitudinis nota est, non vinculum æqualitatis, ut Luca vi. 36. & Matth. v. 48. ubi non æqualitas perfectionis & misericordiæ Patris injungitur, sed præcipitur imitatio. Vide Orat. 3. contra Arianos Athanasium. 11. Quia non petit Dominus, ut simus unum in natura humana, sed ut simus unum in Patre & Filio, *Ut & ipsi*, inquit, *in nobis unum sint*: quibus aperte significatur unitas charitatis & dilectionis. Vide Augustinum in iv. de Trinit. cap. 9. 111. Falsum est nos cum Deo sola voluntatis concordia necti, cum ipsi uniamur etiam quodam vinculo substantiali tum in Incarnatione, qua Verbum nostram sibi copulavit naturam, cum in Eucharistiæ Sacramento, in quo ejus corpore pascimur; ut disputant Cyrillus, & Hilarius: quorum sententiam accurate tractat insignis Theologus Cardinalis Gotti Quæst. 1. de Trinit. Dub. 2. §. 2. n. xxviii. iv. Cum Ambrosio lib. iv. de Fide cap. 2.

retorquetur Arianorum argumentatio. Nam nisi Christus se à creaturis separaret, non præmitteret, *Ut unum sint*, sicut tu Pater in me, & Ego in te; sed potius dicendum fuisset, *Sicut tu in nobis, & nos in te*: At Filius unit se Patri, & priora verba præmittit: Ergo Filius separat se à creaturis. Quod additur ex Act. iv. 32. & i. ad Corinth. vi. 17. & cap. 111. 17. ita resolvitur ab Augustino in 111 contra Maxim. cap. 20. *Quando de rebus duabus, aut pluribus dicitur unus est, vel una est, & additur quid unus, vel quid una; & de his, quæ sunt unius substantiæ dici potest. Diverse sunt enim substantiæ spiritus hominis, & spiritus Domini, & tamen dictum est, Qui adhaeret Domino, unus spiritus est: Unius autem substantiæ sunt animæ hominum, & corda hominum, de quibus dictum est, Erat illis anima una, & cor unum. Ubi autem dicitur de duobus, aut pluribus, unum sunt, nec additur quid unum sint, non diversæ intelliguntur, sed unius esse substantiæ: sicut dictum est, Qui plantat, & qui rigat unum sunt: Et, Ego & Pater unum sumus.*

Addam ego Animam, spiritum, & cor frequenter accipi in Scripturis pro motu animæ, & desiderio. Ita anima accipitur Genes. xxi. 8. *Si placet animæ vestræ*, & Joan. x. 24. *Quousque animam nostram tollis?* Ita spiritus Num. xiv. 24. *Caleb plenus alio spiritu secutus est me.* Et ad Rom. xi. v. 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis.* Ita & cor Deut. xxix. 18. *Cujus cor adversum est à Domino.* Et Matth. vi. 21. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Sunt exempla hujusmodi frequentissima. Quid ergo stupent hæretici, si præfata testimonia de unionem voluntatis explicamus, & non item alia, ubi neque anima, neque spiritus, neque cor memorantur? Plura alia argumenta tractant Theologi; sed nos ea fusiori stylo complexi sumus, quæ valeant quempiam convincere, dummodo non sit in errore cæcus, & pertinax.

15.  
Solutio 4.

## CAPUT XII.

Solvuntur contrariæ opinionis argutationes.

### SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 33. deteguntur fallaciæ hæreticorum.

1.  
Objectiones  
solvantur de  
Consistentia  
Ver-

**L**ATEBRAS Transylvanorum tentavimus: ubi hæretici plurium errorum portentis hæresim perniciosissimam tutantur, Christum & verum Obje-

Deum, & Unigenitum Patris, & Divino honore dignum consistentes, & tamen

R. P. Berti Theol. Tom. II.

H

eter



æternum, & genitum ex substantia Patris, Deumque altissimum denegantes. Horum autem tergiversationes tantæ sunt, ut nullus error pari machinationum numero propugnetur: quas & Crellius in libro de uno Deo Patre, & Socinus contra Volanum, & Wiekum, & Joannes à Wolzogen ex Calvinista novus Samofatenicus, & alii copiosis Voluminibus editis, Satana magistro, invenerunt. Adversus harum machinarum fragorem nos ipsos valido præsidio munivimus. Nunc jungunt se Arianis, eorumque armis nos iterato certamine lacessere non desinunt: atque hæc obijciunt. 1. Ipse Filius Joannis xiv. 28. profitetur se Patre inferiorem, dicens: *Pater major me est.* Itaque non est Patri consubstantialis.

2.  
Solutio.

Resp. dist. antec. profitetur se inferiorem Patre ratione humanitatis assumptæ, concedo: ratione personæ ac naturæ, cui copulavit humanam, subdistinguo, profitetur se minorem origine, concedo; minorem potestate aut substantia, nego. Quippe si Patre hoc pacto esset minor, quomodo eodem cap. v. 9. dixisset: *Qui videt me, videt & Patrem?* Quomodo verum est, quod scriberat Joan. cap. v. 18. *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo?* Quomodo cap. xvi. 15. ait ipse Filius: *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt?* si omnia Patris, ut arguit 1. de Trinit. Victorinus, sunt & substantia, & potestas, & dignitas. Quomodo denique ait Apostolus ad Philipp. 11. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* videlicet, rem alienam non usurpavit, dum se Patri suo fecit cœqualem? Itaque in hac Scripturarum sanctarum diversitate, ad diversam Christi naturam est recurrendum, ut ait Augustinus 11. de Trinit. cap. 1. *Filius est æqualis Patri secundum formam in qua erat, & minor Patre secundum formam servi, quam accepit.* Id priori distinctionis nostræ membro complexi sumus. Nam in altero Patrum Græcorum indicata est responsio, qui dicunt Filium minorem Patre secundum *habitudinem* causæ, eo quod Pater origo sit filii, ut loquitur in 1. adversus Eunomium Basilii, Orat. v. Gregorius Nazianzenus, & hom. 75. Chrysostomus. In quorum scriptis advertendum est nomen causæ ac principii indiscriminatim usurpari, quod usitatissimum est Græcis omnibus. Videtur tamen mihi verior sententia Latinorum, qui dicunt Filium se minorem fecisse Patre propter humanitatem; primo, quia inquit Christus: *Gauderetis utique quia*

*vado ad Patrem; quia Pater major me est.* At ad Patrem ibat non ratione divinitatis, secundum quam nunquam à Patris gloria recessit, sed ratione duntaxat humanitatis. Deinde quia nulli bi scriptum est Patrem esse majorem Spiritu Sancto, aut Spiritum Sanctum minorem Patre, quia Spiritus non sic creaturam assumpsit, sicut à Verbo assumpta est natura hominis; inquit Augustinus in 11. de Trinit. cap. 6. Hæc tamen salva Græcorum Patrum dignitate dicta sint.

Obstrepi Faustus Socinus in Animadvers. ad Theses Collegii Posnaniensis pag. 437. Continent hæc affirmantia verba *Pater major me est*, aperte negationem hanc, *Ego non sum tam magnus, ut Pater.* Atqui simpliciter de Persona quapiam nullo pacto quicquam negari potest, quod ei secundum aliquam naturam conveniat. Ergo nullo pacto negari potest Filium esse tam magnum ut Pater, si Filio id secundum aliquam naturam competere. Probatur minor. Nemo simpliciter negaverit hominem quantum esse, quia ejus anima revera non sit quanta: satis est enim, si ejus corpus sit quantum, ut revera est. Ergo similiter si Christus secundum divinitatem tam magnus esset ut Pater, nullo pacto id simpliciter negari potuisset; quamvis revera secundum humanitatem tam magnus non sit.

Resp. nego *suppositum* minoris: non enim de Persona Filii simpliciter negatur, quod sit tam magnus ut Pater; quomodo nec simpliciter affirmatur illum Patre minorem esse: sed cum duplici constet natura, secundum unam æqualem, secundum alteram minorem Patre pronunciamus. Ita nemo simpliciter negat hominem esse quantum, licet quanta non sit ejus anima, quia cum homo constet ex anima & corpore, quantum est ratione corporis, non quantus ratione animæ. Quare concedo consequentiam, & retorqueo argumentum: Ex quo homo sit quantus ratione corporis, non sequitur quin sit spiritualis ratione animæ; & absque ulla contradictione vera est utraque propositio, *homo corporeus est, homo spiritualis est.* Igitur ex quo Christus sit minor patre secundum humanitatem, non infertur quin sit æqualis Patri secundum divinitatem: & vera est enunciatio, *Ego & Pater unum sumus, vera & altera, Pater major me est.*

Instat Wolzogenius in libro de *Utili lef. novi Testam.* p. 328. Dicit nequit, Christum nec conceptum esse de Spiritu San-

3.  
Instantia  
fausti socini.

4.  
Solutio.

5.  
Instantia  
Wolzogeni.



Sancto, nec natum ex Virgine, nec crevisse, nec edisse, nec bibisse, nec flevisse, non mortuum, non resuscitatum, nec alia innumera, quod ei nihil horum competat secundum Divinam naturam. Ergo neque dici potest esse aequalem Patri, extitisse ab aeterno, creasse mundum, fuisse in caelo antequam nasceretur ex Virgine, & alia hujus generis, quia nihil horum ei competit secundum naturam humanam.

6.  
Solutio.

Resp. nego consequentiam. Cum enim Christus sit ex duplici natura compositus debent de eo affirmari quaecunque utrique naturae conveniunt, quomodo de homine qui constat ex corpore & anima, affirmatur quod sit corporeus, & quod sit spiritualis. Quare dici nequit Christum nec conceptum esse, nec mortuum; quia id ei competit secundum naturam humanam; & dici nequit non esse aeternum, non esse Deum altissimum, non esse Conditorem saeculorum, quum id illi competat ratione divinitatis.

7.  
Instantia.

Dices: Multa alia sunt sacrarum literarum loca, quibus Filius cum Patre ostenditur inaequalitas. I. Petitur ex Jo. v. 19. ubi Christus ait: *Non potest filius a se facere quicquam, nisi videat Patrem facientem.* Et v. 30. *Ego nihil possum a me ipso facere.* Quomodo igitur Filius potest esse summus Deus? II. Id illa loca confirmant, in quibus Christus ostendit se non esse auctorem suae doctrinae; ut cum inter alia inquit Jo. vii. 16. 17. *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me.* III. Huc spectant ea loca, quibus testatur se missum à Patre Jo. iii. 16. ab ipso accepisse mandata Joan. x. 18. ad Patrem fuisse preces Joan. xvii. 1. 14. Accedunt loca, quibus Filius vocat Patrem Deum, ac Dominum suum, ut xx. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Et Paulus I. ad Corinth. 3. 23. ait: *Christus est Dei.* v. Fatetur etiam Salvator se habere aliam voluntatem à Patre, Matth. xxvi. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

8.  
Solutio.

Resp. Haec, quae olim Ariani, nunc Sociniani opponunt, Divinitati Salvatoris nostri non adversari. Ad I. enim Resp. cum Gregorio Nazianz. lib. iv. Theologiae: Filium non posse à se facere quicquam, quia una est Patris ac Filii potestas, una, eademque operatio. Quae responsio constat ex verbis immediate sequentibus: *Quaecumque enim ille fecerit, haec & Filius similiter facit;* atque etiam ex praecedentibus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.*

R. P. Berti Theol. Tom. II.

Vide & Ambrosium lib. iv. de Fide cap. 3. Possumus textum etiam de Filio, ut homine, exponere.

Arguit Wolzogenius: Si Filius videre debeat Patrem facientem, Pater erit norma & regula Filio. At qui se in operibus suis ad normam & regulam alterius componit, non est Deus summus: Ergo Filius Deus summus non est.

Instantia  
Wolzogenii.

Resp. dist. majorem. Si Filius videre debeat Patrem facientem, ut discipulus artificem, à quo docetur, conc. Si videre illum debeat, ut unigenitus Patrem, à quo per generationem accipit essentiam ac sapientiam; nego. Vide Gregorium Nysenum lib. contra Eunomium xii. ubi explicat omnem operationem Filii ad formam operationis Paternae, similitudine imaginis eandem motionem habentis cum suo archetypo, dum se contemplatur in speculo.

Solutio 1.

Quod secundo objicitur, nullius est momenti. Quirit enim Tract. in hunc locum S. P. Aug. Si mea, quomodo non mea? Si non mea, quomodo mea? Brevis responsio: mea, quia sum Dei Verbum, ac Sapientia. Non mea, quia non à me originaliter profecta. Sicut enim Filius Dei esse suum habet à Patre, ita quicquid ejus est, sive vita, sive scientia, sive operatio similiter est à patre. Propterea etiam appellat doctrinam Patris, ne credatur per humanam industriam comparata. Aut loquitur ex hypothesi, & sensu Judaeorum, qui opinabantur ipsum diversum voluntate ac doctrina à Patre, suam facere voluntatem, & doctrinam suam spargere; cum una sit ipsius ac Patris voluntas. Et quidem sapissime negativa propositiones in sacris libris non negant simpliciter, sed secundum hypothesim, & cogitationem eorum, ad quos dirigitur sermo: ut Joan. 1. 21. Baptista negavit se esse Prophetam, & Eliam, scilicet eo modo, quo intelligebant Judaei, cum esset vera Propheta, & etiam spiritu & virtute esset Elias. Haec postrema responsio non patitur instantias Socinianorum;

10.  
Solutio 2.

Nam urget Wolzogenius: Si Filius tantum doctrinam suam retulisset ad Patrem, potuisset intelligi eum una cum Patre esse illius auctorem: At negat eam suam esse, & soli Patri eam adscribit. Ergo non est auctor suae doctrinae.

11.  
Instantia  
Wolzogenii.

Itaque respondeo dist. minorem: Negat secundum hypothesim Judaeorum, concedo: negat simpliciter; nego. Aut dico negare se auctorem esse doctrinae, quatenus illam habet à Patre.

Solutio 1.

H 2

Ad



12. Ad testimonia tertio producta Resp. S. P. Augustinus lib. contra Serm. Arianorum cap. vi. *His testimoniis Sanctarum Scripturarum, quid persuadere conantur, nisi propterea Patris & Filii diversas esse naturas, quia obediens Patri ostenditur Filius? Quod tamen de hominibus non utique dicerent: neque enim si homo filius homini Patri sit obediens, ideo amborum diversa natura est.* Fuit ergo Filius missus à Patre, eique obediens spectata natura humana, neque sive missio, sive obedientia probant necessario inæqualitatem personæ.

13. Instantia Wolzogenii. Instat Wolzogenius: Mandata accipit Christus à Patre, quatenus legatus ipse fuit: Legatum autem statuunt Christum Trinitarii, in quantum Deus est: Igitur Christus in quantum Deus, Patris mandato subjicitur.

Solutio 1. Resp. dist. minorem. Statuimus nos Christum legatum Patris secundum Divinitatem, ita ut divinitas sit forma, quæ Mediatoris nostri obedientiam ac mortem reddiderit summe dignam; concedo: ita ut Mediator ac Redemptor noster secundum formam Dei fuerit Patri subiectus, mortemque subierit; nego. Præterea mandatum Patris etiam ad Filii Verbum, & βαρύτα, ut cum Augustino explicat Petavius in vi. de Trinit. cap. iv. n. 5.

14. Solutio 2. Ad quartum duppliciter S. P. respondet, 1. in priori libro de Trinit. cap. vii. *Patrem etiam Deum esse unigeniti filii, quoniam factus est homo, & natus ex femina.* 11. Tract. in Joan. cxxi. *Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum.* Neque dixit Deum nostrum: ergo & hic aliter meum, aliter vestrum; Deum meum, sub quo & ego homo sum; Deum vestrum, inter quos & ipsum Mediator sum.

15. Instantia Wolzogenii.

Wolzogenius insurgit: Deum alicujus esse hebraica phrasi significat benefactorem esse alicujus, ut constat ex cap. xx. Lucæ. v. 38. Ergo quod Christus Patrem Deum suum vocat, ex eo validissime probatur non esse Deum summum, sed beneficio Patris fuisse à mortuis suscitatum.

Solutio.

Resp. Transf. ant. quippe Lucas ait Deum non esse mortuorum, hoc tantum sensu, quod omnia illi vivant, faciantque verbum ipsius: & nego consequentiam; Nimirum Deus summus assumpsit naturam humanam, in quam potuerunt Patris beneficia diffundi. Verba Matth. xxvi. 39. probant tantummodo fuisse in Christo duplicem voluntatem, & in humana naturale desiderium propriæ vitæ,

quæ tamen perfecte rationi subesset, neque cum deliberata voluntate pugnaret. At de his in libris de Verbi Incarnatione, adversus Monothelitas.

Opp. 2. Summus Deus habet essentialem bonitatem, plenitudinem potestatis, perfectissimamque scientiam: Hæc non habet Dei Filius. Ergo Dei filius non est ille verus ac summus Deus. Prob. minor; Matth. xix. 17. dum vocaretur Filius Magister bonus, ait: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus.* Item cap. xx. 23. respondit filiis Zebedæi: *Sedere ad dexteram, & sinistram non est meum dare, &c.* Rursus de extremo judicii die cap. xxiv. 36. inquit: *De die autem illo, & hora, nemo scit, neque angeli celorum, nisi solus Pater.* Igitur Filius, neque bonitatem Divinam, neque summam potestatem, neque plenitudinem habet sapientiæ.

Resp. nego min. quandoquidem Christus se bonum appellat Jo. x. 11. 14. sibi que collatam omnem potestatem in celo, & in terra, testatur Matth. xxviii. 18. In ipso etiam omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ esse absconditos ait ad Coloss. 11. 3. Apostolus. Quare ad 1. vera est responsio Gregorii Nazianz. Orat. 36. & Augustini in iii. contra Maxim. Christum juveni sic occurrisse, *Quid me dicis bonum?* quasi diceret: Si me arbitraris purum hominem, cur bonum appellas? Si bonum fateris, oportet ut Deum credas, cum solus Deus sit vere bonus, & omnis boni fons & origo. Quibus non propriam negat bonitatem, sed adolescentis fidem attollit.

Instantia Wolzogenii. Insistit Wolzogenius: longe aliter Christus argumentatur; nempe sic: Solus Deus altissimus est bonus: Ego non sum Deus Altissimus; Ergo ego non sum bonus.

Solutio 1. Resp. dist. min. Inquit Christus, Ego non sum Deus altissimus revera & in me ipso; nego. Ait, non sum Deus Altissimus in sensu illorum, qui me tanquam legisperitum, hominemque purum interrogant, concedo. Vide supra responsionem nostram ad v. 16. cap. vii. Joan. & Chrysostomum in hunc locum, qui observat Christum interrogari, quasi unum quempiam legis Magistrum.

Alter locus cap. xx. 23. quamquam cum Aug. in 1. de Trinit. cap. xii. possit exponi, quod regnum dare non sit humanæ potestatis; melius cum eodem S. P. in Pl. cxxvi. ita explicatur. Meum non est dare superbis, qui illud petunt aut terrenum, aut jure consanguinitatis; sed meum est dare humilibus, quibus paratum est à constitutione mundi,

ut

16. Obiectio 2.

17. Solutio.

18. Instantia Wolzogenii.

19. Solutio 2.



ut supra cap. xxv. 34. Quibus verbis filios Zebedai à studio *φιλονεικίας* ad humilitatem revocavit: *Quid est*, inquit, S. P. non est meum dare vobis? non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant. Habemus ex parte consentientem Soci-nianum, qui pag. 346. ait: *Sensus est, non est meum dare præter eos, quibus paratum est à Patre meo.*

20.  
Instantia  
Wolzogenii.

Sed inquit: Ecce Christus non haberet potestatem regnum istis duobus dare, si Deus summus esset? Et cur non dixit potius: Sed quibus à me, vel à Patre meo, & à me paratum est?

Solutio 1.

Respondeo, Deum summum non habere potestatem dandi regnum superbis, quia illud paravit humilibus. Paratum vero à Patre, quoniam is fons est summi imperii ac potestatis; quam sibi competere diserte Filius testatur Luca xxii. 29. Neque dicendo, à Patre, excludit se ipsum, qui Jo. xvi. 15. ait: *Omnia, quæ habet Pater mea sunt.* Imo quod apud Matth. dicitur *paratum à Patre*, Marci x. 40. legitur absque Patris mentione. Meminit quoque Patris, ut ostenderet, etiam Patrem, cui est una cum Filio voluntas, non petitionibus deferre regnum, sed meritis.

21.  
Solutio 2.

Postremæ objectionis ex cap. xxiv. Matth. 36. missis variis responsionibus, quas erudite persequitur Petavius lib. 2. cap. 3. hæc solutio sit. Nescit Filius diem judicii, ut singularis persona est, & Deus homo plenus gratiæ & veritatis, nego. Nescit, ut Caput Ecclesiæ, in quantum non debet diem illum manifestare, ut homines continuo adventum Judicis formident; conc. Qui legislatoris aut judicis officio fungitur, dicit se nescire quidquid nefas est revelare. Nec mentitur tamen, quamvis ut singularis persona hoverit, quæ à se ignorari fatetur. Ita judex ait se nescire rei crimen: ita Confessarius poenitentium peccata. Recte Augustinus in 1. de Trin. cap. 12. *Hoc enim, inquit, nescit, quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret.*

22.  
Instantia.

Dicet hæreticus: hoc pacto etiam Pater, qui nobis diem judicii non revelavit, illam diem dicendus est ignorare.

Solutio.

Resp. nego assumptum; nam Pater revelavit Filio; nec ipse officio enunciandi aliquid, aut legatione apud homines fungitur: quod munus est Filii.

23.  
Obiectio 3.

Opp. 3. Ille non est Deus altissimus, qui gratia divinitatem obtinuit. At Filius gratia adeptus est divinitatem. Ergo Filius non est Deus altissimus. Minor prob. 1. ex Epist. ad Philipp. ii. 9. *Donavit illi nomen, quod est super omnes*

*nomen.* ii. Ex Epist. ad Hebr. v. 5. *Christus se ipsum non glorificavit, ut Pontifex fieret.* iii. Jo. v. 22. *Pater omne judicium dedit filio.* iv. Ex Act. 2. 36. *Dominum eum, & Christum fecit Deus.* v. Ex 1. ad Corinth. i. 30. *Factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* vi. Ex Apocalyp. v. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, &c.* Itaque Filius & nomen, & gloriam, & judicium, & sapientiam, & Redemptoris characterem, & divinitatem ipsam munere, & beneficio Dei Patris obtinuit.

Resp. nego minorem. Ad probat. dico: Filium hominis factum fuisse Dominum ac Deum, sapientiam, sanctificationem, & redemptionem nostram, quando Verbum caro factum est; ita ut hæc omnia sint & naturalis proprietas, & beneficium. Quippe si humanam naturam spectas ante Incarnationem Divini Verbi, quemadmodum gratia est ipsius assumptio, ita est gratia quidquid ad ipsam Incarnationem consequitur. At ex quo Verbum factum est caro, transit jure naturali ad filium hominis quidquid Verbum erat, divinitas, sapientia, potestas, & rerum omnium dominium. Ita ergo Christus ratione humanitatis factus est Deus, quia humana natura nexu substantiali ad jura divinitatis transiit. Prædestinatus est autem Christus, ut homo, ad tantam nominis exaltationem etiam propter passionis humilitatem; qua gloriam promeruit, ut per crucis mortem & obedientiam singularem acquireret, quod jure hæreditario suum erat. Decretum enim fuerat, ut pateretur, & ita intraret in gloriam suam. Neque enim absque passione glorificatus esset titulo Redemptoris, aut factus esset caput Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo; licet sine passione absolute potuisset glorificari in sua persona, & jam à primo conceptionis instanti Patris sui frueretur contitu. Hæc ratione Agnus occisus accepit virtutem & divinitatem, quia merito passionis suæ habuit potestatem divitiarum misericordiæ, & dona Spiritus Sancti hominibus largiendi. Sic in Apocalypsi v. 12. ubi legimus *divinitatem*, habet Græcus, καὶ πλῆτον, & *divitias*, sensu non malo. Imo suspicatur qui Estii prosequitur Commentaria, pro *divinitatem*, olim scriptum *divitatem*, quomodo legitur apud Gellium lib. iv. cap. i. *divitare*. Sed quæ vix attingi, erunt studiosis, post assiduam Sacrorum interpretum lectionem, vulgatissima.

24.  
Solutio.

H 3

Opp.



25. **Obiectio 4.** Opp. 4. Verbum in ea quoque substantia, in qua ante Incarnationem præexistit, creatura est. Non est ergo Patri consubstantialis. Prob. antecedens. i. Ex Prov. viii. 22. *Dominus creavit me initio viarum suarum.* ii. Ex cap. xxi. i. Matth. 18. *Ecce servus meus electus, quem elegi.* iii. Joannis 1. 15. *Qui post me venturus est, ante me factus est.* iv. Eadem verba Joannis 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt,* demonstrant, Verbum esse instrumentum productum à Patre, ut eo in mundi creatione uteretur. Hæc Ariani.

26. **Solutio 1.** Resp. nego ant. quod non probant producta Scripturarum Sanctarum loca. Primum enim ex cap. viii. Prov. 22. quod nos ad Divinam Verbi naturam faciemur esse referendum, licet Athanasius Orat. 3. contra Arianos accipiat pro humana, ob triplicem causam frustra nobis objicitur. Nam legendum est: *Dominus possedit me:* non, *Dominus creavit;* cum id habeat latina versio, & fons hebraicus, יְהוָה קָנָנִי, & Græcis facile fuerit substituere κέκοιτος ἐντός μου, *Dominus creavit me,* pro, κέκοιτος ἐντός μου με, *Dominus possedit me,* ut non solum Aquila animadvertit, sed etiam hæresi 69. Epiphanius. At *possidere* generationem, non creationem significat, ut Gen. iv. 1. *Possedi hominem per Deum.* Dein admittit Græcorum lectione, quæ minime antiquis Patribus displicuit, nego verbum κτίσεν, *creare,* solum dici de rebus quæ producuntur ex nihilo, cum & filii, & Magistratus, & urbes κτίσονται dicantur, & Græcum verbum aliquando gignere, aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere significet; ut demonstrat lib. contra Adv. legis S. Augustinus. Præterea hoc verbo κτίσεν pro *creare* accepto, non repugnat Dei Sapientiam dici creatam, quatenus quidquid creatum est habet in Dei Verbo rationem sui: quomodo in domo dicimus productam ideam artificis. Quod & explicat S. Pater in vii. de Trinit. cap. 3. & stylo parabolico congruit. Sed ad primum responsum est: pergamus itaque ad reliqua.

27. **Solutio 2.** Cap. xxi. Matth. concedo hæreticis hanc lectionem, *Ecce servus meus,* tamen tam Græcus, quam Latinus legat *puer meus.* Siquidem & παῖς pro δαδός, & *puer* pro *servus* sumitur aliquando, quomodo utrumque notat hebraicum נַעַר. Sed Isaiæ 42. 1. non habet Hebræus נַעַר *puer*, sed עֶבֶד, *Servus meus,* Quare non video, cur quidam

Theologi detrectent concedere Christum dici servum, quod neque Græca, neque Latina Biblia id habeant; si utrumque sensum patitur & Latinum *puer*, & Græcum παῖς. Nego tamen Filium dici servum ex conditione personæ, cum dicatur duntaxat propter obedientiam humilitatis. Imo Isaias loquitur ad literam, aut de toto populo Judaico, ut vertunt lxx. aut de se ipso, ut aliis placeat, & ejus verba sublimius in Christo fuerunt impleta, cujus figuram aliquam ipse gesserat. Quapropter ex quo Matthæus pronuntiet verba Isaiæ, non sequitur hunc, & Christum æquali modo esse servum, sed Prophetam conditione, Christum obedientia. Atque cum his cohæret sententia Patrum, qui docent nunquam Christum in rigore, ac proprietate verborum *Servum* dici.

28. **Solutio 3.** Verborum Joannis cap. 1. 15. sensus est, *Factus est ante me,* scilicet, antepositus & prælatus est mihi, quia cum æternus sit & me præcedat ætate, debet etiam præcedere dignitate. Nam sequitur: *Quia prior me erat,* Græcè ὁ πρῶτός μου ἦν. Alioqui si priora verba significationem habent creationis, sensus erit, *Ante me creatus est, quia ante me creatus est:* sententia nullo digna Scriptore. Memoravi autem lectionem Græcam, quod πρῶτος etiam Dominum & Principem denotet; unde hoc loco prærogativa simul ostenditur temporis, & potestatis.

29. **Solutio 4.** Versus 3. In caput recidit Ariarum. Ait enim Augustinus tract. 1. in Joan. *Quomodo potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est Verbum Verbi, per quod factum est, illud ipsum ego dico unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia.* Vide quæ cap. viii. diximus ad 2. Opp. Falsum est autem quod ajunt Ariani particulam δια, *per,* significare ubique causam instrumentalem, cum sæpenumero denotet effectricem & principalem, ut Genes. iv. *Possedi hominem per Deum,* & Prov. viii. *Per me reges regnant.* Vulgaribus hæc exemplis addo unum singulare, Osee cap. 1. 7. *Salvabo eos in Domino Deo suo:* ubi est in Hebræo, בַּיהוָה *Per Jehovah.* Dixi singulare exemplum, quo & Filii divinitas ex principali Dei nomine confirmatur; & per affixum *Per* penitus obiectio diluitur.

30. **Obiectio 5.** Opp. v. Argumenta Eunomii à ratione petita: quorum 1. est, Dei proprietates



prietas est esse *ingenitum*; Filius *ingenitus* non est: Ergo Filius non habet Dei proprietates. Alterum, Filius est similis Patri: similitudo est inter plura, quæ sunt diversæ substantiæ: ergo diversæ substantiæ sunt Filius ac Pater. Tertium, Pater est persona Divina: Filius non est Pater: Ergo Filius non est Divina persona.

31. Solutio. Resp. ad 1. dist. majorem: *Ingenitum* scriptum Græce unico N. ἀγέννητον, quod significat *non factum*, & *non creatum*, est proprietas Dei, conc. scriptum geminato N. ἀγεννητων, quod significat *non natum*, *non genitum*, subdist. est proprietas personæ, conc. naturæ, nego. Vide Cyrillum lib. xi. Thef. cap. 1. & D. Thomam 1. part. qu. xxxi. art. 4. ad 2. Ad alterum dist. majorem. Filius est similis Patri secundum identitatem substantiæ, conc. secundum qualitatis proprietatem nego. Lege Basilium Epist. ad Cæsarienses 141. Ad tertium dist. pariter majorem: Pater est persona Divina, & nomen Patris significat divinitatis substantiam, nego: significat *habitudinem* & *relationem*, conc. Ita lib. 3. Theologiæ Nazianzenus. Hæc omnia constant ex dictis cap. x. precedenti.

32. Instantia. Oppones ultimo. Filius est Verbum & sermo Patris: Ergo non est Patri consubstantialis. Prob. conseq. Augustinus lib. vii. de civit. Dei cap. xiv. & Arnobius lib. iv. pag. 62. demonstrant Mercurium non esse Deum, si est sermo: Si Mercurius, inquit S. Pater, ipse sermo est; etiam ipsi (Ethnici) confitentibus Deus non est. Si ita licet argumentari, cur fas non erit Arianis arguere, Si Verbum sermo est, ergo ipsis Catholicis confitentibus Deus non est?

33. Solutio. Resp. dist. ant. Filius est *sermo* prolatitius contextus syllabis, & foras erumpens, nego. Est *sermo* vivus, subsistens, & intus permanens, concedo. Dei Filius appellatur Verbum, quia mente gignitur, & habet quamdam cum Verbo nostro similitudinem, de qua legendus Augustinus tract. in Jo. xiv. Melius autem dicitur Verbum, & λόγος,

quam sermo; quum sit eadem Patris ratio, & intelligentia, ut priori nomine significatur. In Deo autem ratio à substantia nequit separari: unde si Filius est Verbum & ratio Patris, non potest aliam habere naturam. Quod ergo Filius Verbum est, non tollit ejus divinitatem, sed comprobatur. Non valet id de exteriori sermone, qui syllabis formatur, & ore profertur, nec subsistit, sed transit; adeoque non est substantiale Verbum, sed qualitas adventitia. Porro Augustinus & Arnobius citatis locis observant Mercurium sermonem esse foris personantem, & ore labiisque prolatum. Audias Augustinum: *Quod si sermo dicitur esse Mercurius, sicut illa, quæ de eo interpretantur, ostendunt, (nam ideo Mercurius dicitur appellatus, quasi medius currens, quod sermo currat inter homines medius: ideo alas ei in capite & pedibus ponunt, volentes significare volucrum ferri per aera sermonem: ideo & mercibus præesse, quia inter vendentes & ementes sermo sit medius: ideo nuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata nuntiantur; si ergo Mercurius ipse sermo est, etiam ipsis confitentibus Deus non est. Scribit Arnobius similia. Quare validissima est horum argumentatio, cum nequeat esse Deus sermo humanus, prolatitius, transiens, per medium currens, ut fingitur esse Mercurius. At dum Arianus cum suo ductore in Thalia, argumentatur, Si Filius est Verbum prolatitium, vocis strepitus, & ipsa Dei jussio, Deus non est; ex falso antecedenti falsam inferi consequentiam, quum Filius Dei non sit tale Verbum, ut demonstrat Oratione 3. Athanasius. Hæc dixi, ut appareret quam inscite Joannes Phereponus in Appendice Augustiniana p. 580. scripserit: *Miror non timuisse Augustinum, ne sibi objiceretur quod passim habet de Verbo; nam similis objectio potuit fieri, responsoque Augustini pariter eludi.* Sed hanc cenforiam Phereponi animadversionem Lamindus Pritanius in libro iii. de Ingeniorum moderat. cap. ultimo, alique viri doctissimi castigarunt.*

## CAPUT XIII.

An Synodus Nicæna jure definierit Filium esse Patri  
OMOZEION.

## SUMMARIUM.

1. & 2. Exponitur status questionis

3. Propugnatur vocabulum ὁμοουσιον rite à SS. Nicæna Synodo fuisse receptum, & Symbolo additum.

à num. 4. usque ad 14. Inclusive exhibentur argumentationes hæreticorum.

15. Redditur ratio, cur Patres Nicæni non probarent vocabulum ὁμοουσιον.

ARIA



I.  
Quæstio an  
Synodus Ni-  
cæna iure  
definierit fi-  
lium esse Pa-  
tri consub-  
stantialem.

**A**RIANORUM hæresim profligavimus, qui Filium *ex non extantibus* factum esse dicebant, & fuisse aliquando tempus *quando non erat*, neque genitum ex substantia Patris, sed creatum, licet præstantioris, quam aliæ creaturæ sint, conditionis. Horum errore per Synodum Nicænum damnato, fuerunt qui Verbum Patri per omnia simile fatebantur, non tamen *ὁμοούσιον*, scilicet, *consubstantialia*. Hi Semiariani dicti sunt, quod partim ab eo discreparent. Rejiciebant quippe vocabulum *ὁμοούσιον*, sed Patri *υσία*, & substantia Filium assimilari docebant. Non solum hi, verum etiam recentiores quidam hæretici vocabulum istud criminantur, alii tanquam natum à Valentinianis, & Gnosticis, ut Sandius; alii vero tanquam ad exprimendam Catholicorum sententiam incommodum, ut in Prolegomenis ad historiam Eccles. Clericus.

2.  
Etymon  
nominis  
*ὁμοούσιος*  
exponitur.

Ante quæstionis resolutionem est nominis etymon exponendum. *ὁμοούσιος* vox composita est ex *ὁμοῦ* simul, & *οὐσία* substantia. Vis adverbii *ὁμοῦ*, simul, est significare ambo eandem rem esse, ut cum dico, *ὁμοειδής*, ejusdem speciei, *ὁμολόγος* ejusdem nominis; aut rem esse simul, ut cum dico, *ὁμοκλιτής*, simul una ætate, *ὁμοτροφός* simul nutritus. *Οὐσία* autem idem est, ac *natura*, *substantia*, *essentia*, ab *ὄν* *οὐσία*, ens, participium verbi *εἶμι*, sum. *Οὐσία* ait Clericus part. 2. Artis Criticæ lib. 1. cap. xiv. essentiam, ut substantiam significat non personalitatem, ut sic loquar. Nullum mihi unquam occurrit exemplum, neque ab ullo allatum vidi, in quo *οὐσία*, ubi de Persona quadam dicitur, eam significet, quatenus in ea spectatur personalitas, seu id quo fit, ut seorsim ab omni alia re, aut persona sit, & prout distinguitur ab ipsa substantia. Semper illius personæ essentiam, aut substantiam, aut naturam significat, quæ proprie est personalitatis subjectum, ut loquuntur Scholastici. Ita Criticus reprehendens Valesium, quod male expresserit opinionem Berylli Bostrorum Episcopi lib. iv. cap. 33. Hist. Eusebii. Hanc Clerici opinionem non improbo, quamquam nonnulli post Hilarium scripserint, vocabulum *ὁμοούσιον* proscriptum à Synodo Antiochena, quia Paulus Samosatenus per hanc unius essentia nuncupationem unicam Personam esse Patrem & Filium prædicabat; ideoque usiam pro persona, non pro natura accipiebat. De qua Hilarii sententia dicam infra in responsione ad 3. Opp.

PROPOSITIO: Vocabulum *ὁμοούσιον* rite, atque opportune à Sacrosancta Nicæna Synodo adversus hæresim Arianam fuit receptum, symbolo additum, & consecratum.

Marius Victorinus vir Consularis hanc propositionem tribus argumentis probat, quæ scholastice, ac brevissime ita possunt proponi. Sic primum. Duo imple Ariani asserbant, & Filium ex nihilo esse, & aliquando cum Patre non fuisse, quæ duo Arianæ perfidia capita à Sacrosancto Patrum Nicænorum Conventu damnanda erant. At per *ὁμοούσιον* condemnatur utrumque. Ergo vocabulum istud rite, & opportune fuit usurpatum. Prob. minor. Ex dictis *ὁμοούσιον* aut significat esse ambo eandem rem eandemque substantiam, aut in eadem substantia esse simul; si Filius est *ὁμοούσιος* priori significatione; non est productus ex non extantibus, sed ex Patris substantia, & refellitur Arius, qui dixit, *Ex nihilo Filius*: Si dicas *ὁμοούσιον* altero sensu; igitur nunquam Pater fuit in sua essentia absque Filio; & rejicitur Arius, qui dixit, *Fuit aliquando, quando non fuit*. Petitur ergo hac voce *τὸ ὁμοούσιον*, & conoditur jugulam Arianorum. Alterum Victorini argumentum est: Proficitur Catholica Fides non tantum Filium esse à Patre, sed etiam esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; nam esse à Deo competit etiam Creaturis, quæ à Deo factæ sunt: esse autem Deum de Deo significat produci à Patre, & unius esse cum illo substantia. At esse Deum de Deo, est esse *ὁμοούσιον*. Ergo, ut exprimitur Filium non esse à Patre, quomodo sunt creaturæ, sed unam habere cum Patre naturam, percommodum est, aptissimumque vocabulum *τὸ ὁμοούσιον*. Tertium argumentum Victorini: Fuerunt qui dixerunt Filium similem substantiam, & hoc sensu non Filium *ὁμοούσιον* sed *ὁμοειδές* appellaverunt, quomodo loquebantur Semiariani. Contra quos asserendum est, Filium eandem esse cum Patre, & simul substantiam; quod per *ὁμοούσιον* rectissime exprimitur. Hæc igitur vox adversus eos, qui Filium similem substantia dicunt, & negant Consubstantialitatem, recte atque utiliter pronuntiatur. Hæc summa est disputationis Victorini in libro de *τῷ ὁμοούσιῳ* retinendo. Necesse non est Patrum de hoc vocabulo testimonia producere; quippe omnium una vox est, displicere iis tantum, qui Filium Patri consubstantialitatem fateri nolunt. Ita Athanasius, Hilarius, Basilus, Augustinus, Fulgentius, & alii apud Petra.



Petavium lib. iv. de Trinit. & Christianum Lupum in Append. ad Synodum Chalchedonensem.

RESPONDETUR HETERODOXIS.

4.  
Obiectio 1. Opponunt 1. Vocabulum *ἑσέστιον* in  
sacris literis non reperitur; ergo haud  
prudenter ad Fidei dogma adstruendum  
symbolo insertum fuit.

Solutio. Resp. 1. Si in Fidei dogmatibus ne-  
fas est aliquid nomen usurpare præter  
ea, quæ in Scripturis leguntur; quare  
Ariani pronuntiabant *Verbum esse ex non  
extantibus, fuisse aliquando quando non  
erât, esse quidem à Patre, sed non ex Pa-  
tris substantia*? Ubinam Arius, Euno-  
mius, Aetius, aut alii hæretici, qui præ-  
cesserunt, aut subsecuti sunt Nicænum  
Concilium, istusmodi verba legerunt?  
Quod si his subiit animum ad everten-  
dam fidem nova superstruere vocabula;  
cur Fidei defensoribus vitio imputatur,  
quod ad evertendam hæresim voces uli  
fuerint, qua una & Verbi significetur  
aternitas, & in eo Patris affirmetur sub-  
stantia? Deinde quare non refugiebant  
Ariani voces ἀγέννητον, & ὁμοούσιον, ἰνα-  
σχιβίλῆν, & σμίλῆν substantίας, quæ in nul-  
lo sacrarum Scripturarum libro inveni-  
untur, & tamen his suum incrustabant  
errorem? Præterea, ut inquit Orat. 40.  
Nazianzenus: *Si ita credendum est*  
(nempe Filium esse Patri Consubstantia-  
lem) *cur non ita profitendum?* Secundo  
respondeo; falsum est in Scripturis, ὁμο-  
ούσιον, illative saltem & æquivalenter non  
reperiri. Quid est οὐσία? Id quod est.  
Deus est lumen, est vita, est veritas, est  
suum esse. At legimus in Evangelio  
Filium esse lucem, esse vitam, esse ver-  
itatem, esse illum, qui est. Legimus  
ergo esse Deo Patri ὁμοούσιον, atque de  
lectis licet nobis non lecta componere.  
Item jubemur petere quotidie τὸν ἄρτον  
ἐπιβίον, *Panem supersubstantialem*, qua  
voce commode etiam Filium designa-  
mus, qui est Panis vivus de cælo de-  
scendens. Quod si Filius ἐπιστάσις, est,  
& Patris splendor atque Imago, cur non  
ὁμοούσιος? Lege Augustinianam ad Pa-  
fcentium Epistolam num. nunc 238. ali-  
as 164. in qua S. Pater ait: *Prius in-  
terpretandum & exponendum esse quid sit*  
*ἐποστάσις, tum demum in divinis literis*  
*requirendum: quia etsi fortasse nomen*  
*istud non inveniretur, res tamen ipsa in-  
veniretur. Quid est enim contentiosius,*  
*quam ubi de re constat, certare de nomi-  
ne?* Et subinde allato exemplo hujus vo-  
cis *Ingeniti:* inquit, fieri posse, ut etiam  
ὁμοούσιον neque scriptum in sacris paginis  
invenitur, & tamen dictum in assertio-  
ne. R. P. Berti Theol. Tom. II.

*ne fidei defendatur, sicut Patrem in illis  
litteris nusquam Ingenitum legimus, Et  
tamen dicendum esse defenditur. Qui-  
bus Augustinianis verbis responsa no-  
stra concordant.*

Opponent 2. Ante Nicænam Synodum nullus, præsertim ex Patribus *Omnibus* pronunciavit.

Refp. 1. Singulas hærefes intuliffe Ecclefia novas quæftiones, novasque voces, quibus adverfus impiorum vaftritem diligentius Catholica veritas cuftoditur, ut oftendimus in Prolegomenis difputantes pro defenfione Scholaftices. Deinde refpondetur vocabulum *ὁμοῦσιον* perantiquum effe, non à PP. Nicænis inventum. Ariftoteles, quem citat Auctor Anonymus editus cum Origenis Philocalia fcribit *ὁμοῦσία δὲ πάντα ἄντρα*, omnia aîtra effe ejufdem naturæ. Irenæus lib. 1. cap. 1. de fabulis Valentinianæ narrat Valentinum docuiffe Achamoth effe quidem Deo fimillimū, *ἀλλ' ἐχ' ὁμοῦσιον τὸ θεῶν*, *fed non Deo confubftantialem*. Auctor qq. ad Orth. inter Opera Juftini, ait animas habere fibi *ὁμοῦσιες τῶς τε ἀγγελῶς, καὶ τῶς δαιμονίας*, *Confubftantiales Angelos, & Demones*. Meminit hujus vocabuli, tribuitque Dei Filio Dionyfius Alexandrinus, de quo Athanasius in libro de ejus Fide, & exat etiamnum Dionyfii epift. ad Paulum Samofatenfem tom. II. Bibl. PP. pag. 277. Tribuit Pamphylus Martyr in Apologia pro Origine: Tribuit Tertullianus initio libri adverfus Praxeam: tribuit Auctor libri qui infcribitur *Περὶ τριμέγιστου*, fub nomine Trismegifti prope tempora Apoftolorum confcriptus. Quid plura? vocabulum perantiquum effe fatetur Eufebius in Epift. ad Cæfarienfes fuos apud Socratem lib. 1. Hift. Eccl. cap. 8.

Dicit Sandius: Originem habuit το  
 ὁμοόσιον à Gnosticis, ut Æonum suorum  
 fabulam contexerent.

Resp. Errare turpiter Sandium; nam Gnostici Æones suos nequaquam Omousios credebant, ut constat ex citato loco Irenæi.

Inquit Clericius sect. 111. Prologom. Instancia.  
cap. 1. Una eademque numero *ἑστία*,  
aut essentia, sibi met ipsa dici non potest  
*ἑμὴ ὁυσία*, sive *Consubstantialis*: nec ve-  
teres eo nomine significarunt quiddam  
aliud, quam quod est particeps ejusdem  
speciei substantiæ: quod constat etiam  
ex supradictis. Igitur cum Divina Es-  
sentia nequeat habere rationem speciei,  
incommode intrusa fuit vox *Ὀμοούσιος*,  
ac præter nativam propriamque signifi-  
cationem.

Resp. non essentiam Filii, sed Personam. Soluio.



nam dici Consubstantialem; essentia autem ac Personae diversam significationem esse testatur Clericus; cuius verba consulto praemisimus. Veteres autem *ἁγίου* nomine *speciem* intelligebant, & per *Omoousion* quod est particeps ejusdem *speciei* substantiae, quatenus *Usia* est essentia generaliter considerata & minime definita, quemadmodum Persona est id, quod componitur ex communi essentia, & ex notis quibusdam peculiaribus, sive proprietatibus. Hanc *Usia*, sive dicas, hoc esse commune notis particularibus non definitum in creaturis habet rationem *speciei*, & in singulis individuis multiplicatur: in Deo autem est in tribus Personis penitus indistincta. Quare ejusdem speciei Divinae Personae dici nequeunt, & tamen sunt *ὁμοούσιον*, cum sint idem, ac simul *Usia*.

10.  
Replicatio.

Dices: Quidquid in creatis est *ὁμοούσιον* in essentia, dividitur ac partitur. Ergo in Deo non est admittendum *Omoousion*, ne in Deo videamur admittere sectionem, partitionemque substantiae.

Solutio.

Resp. nego consequentiam; non enim hanc naturae partitionem significat *Omoousion*: neque nomina Deo & creaturis communia rerum, quibus imponuntur, admittunt comparisonem. Alioqui male appellaretur Deus, Pater, quod in creatis qui generat natura dividatur à Filio, & male Filius, quod in hominibus genitus aliam habet substantiam à Patre. Quomodo ergo separamus decisionem, ac partitionem à nomine Patris & Filii; ita se jungendam dicimus à vocabulo *τοῦ ὁμοούσιου*.

11.  
Obiectio 3.

Opp. 3. Antiochena; Synodus sexaginta circiter annis ante Nicenam celebrata hanc vocem *Omoousion*, qua Paulus Samosatensis abutebatur, proscripsit. Non ergo probare illam debent Niceni Patres.

Solutio.

Resp. dist. ant. Synodus Antiochena proscripsit *Omoousion* corporaliter acceptum, & quatenus in rebus creatis significat, ut nuper dixi, naturam & essentiam *specie* unam, quae in singulis individuis scinditur ac dividitur, quomodo hanc vocem urgebat Paulus Samosatensis; concedo. Damnavit *Omoousion*, prout nativa ac propria significatione demonstrat plures personas, quibus eadem essentia communis est; absque naturae partitione, & scissione, quae partitio & scissio non ex hac voce infertur, sed ex conditione creaturaram; nego. Ita se res habet. Antiqui Patres *Omoousion* dilerte confessi sunt, ut dixi in Resp. ad 2. neque Antiochena Syno-

dus poterat hanc vocem in sensu proprio acceptam proscribere, salva Antiquorum auctoritate. At Paulus Samosatensis, quasi eodem modo admitteretur à Catholicis vocabulum *Omoousion* in Deo, sicut asseritur à Philosophis inter individua unius *speciei*; consimili argutatione Fidem Catholicam quater moliebatur: *Omoousios* ille est, qui spectat ad eandem *speciem* alterius, inter quos eadem natura dividitur; si ergo Filius esset Persona distincta à Patre, eique *Omoousios*; scinderetur ac divideretur divina essentia. Igitur Filius neque Persona est, neque Patri *Omoousios*. Ad hæc quid Synodus Antiochena? Negat in Deo hoc sensu *ὁμοούσιον*, id est ut cogitabat Sabellianus, & quomodo *Omoousia* dicuntur plura individua unius *speciei*. Constat responsio ex Athanasio in libro de Synod. Arim. & Seleuc. ubi sic loquitur. *Qui contra Samosatenum sustulerunt, hanc vocem, Consubstantialis, corporaliter acceperunt, cum igitur Paulus sophisticari vellet, & diceret, si non ex homine Christus Deus factus est, igitur Consubstantialis est Patri, unde necessario sequitur tres esse substantias, unam quidem quae prior sit, reliquis vero duas ex ea oriundas: ideoque merito vitantes illud sophisma Pauli dixere Christum non esse Consubstantialem. Illi vero qui Arianam haeresim anathemate percusserunt, cum Pauli calliditatem animadvertissent, neque hoc modo in rebus corporeis, praesertim in Deo, consubstantialis accipiendum esse considerassent; merito indukti sunt, ut Filium Consubstantialem dicerent.* Et Basilii Epist. ecc. scribit, Patres Antiochenos vocem hanc ut minus congruam rejecisse, quatenus substantiae distributionem ac partitionem repraesentat. Quam responsionem pluribus confirmat etiam Juenin P. 2. differt. 1. Art. 3. ex scriptis tamen à Bullo sect. 2. cap. 1. §. 2.

Hæc cum ita sint, errant, ut opinor, nonnulli Scholastici qui respondent ab Antiochena Synodo nomen *ἁγίου* acceptum pro Persona non pro Essentia, & rum. Paulum Samosatenum confessum fuisse *Homoousion*, ut Pater, & Filius per hanc nuncupationem unica & solitaria Persona predicaretur. Nituntur auctoritati Hilarii, qui in libro de Synodis num. 86. ait: *Male Homoousion Samosatenus confessus est: sed nunquid melius Arianus negaverunt?* Hæc adversari videntur iis, quæ diximus cum Athanasio. Georgius Bullus putat Hilarium errasse: PP. Benedictini putant errasse Athanasium; quod probant ex Epistola Legatorum Ancyra-

12.  
Error aliorum  
Scholastico-  
rum.



Ancyranorum, in qua legitur: *Patres nostri cum Paulus Samosatenus hereticus pronuntiatus est, etiam homoousion repudiaverunt, quia per hanc unius essentia nuncupationem, solitariam, atque unicum sibi esse Patrem, & Filium predicabat.* Arbitror neque Hilarium decipi, neque Athanasium. Etenim Sabelliani non intelligebant per *Homoousion* unicam ac solitariam Personam, sed, ut diximus, substantiam; quæ exscinditur ac separatur. Hoc sensu male Paulus Samosatenus confessus est *Homoousion*; ut scribit Hilarius: dicebat enim Sabellius Christum genitum esse ut hominem tantum corporum more per defluxus divisionem, ut constat ex Theodoretto lib. 1. H. E. cap. 1. Ex hac intelligentia *homoousion* inferebat in Deo unicam esse Personam, quippe arguebat: Si Christus non est factus ex homine, & est Consubstantialis Patri, Patris substantia scissionem pateretur: quod cum fieri nequeat, Christus non est Consubstantialis Deo, sed tantum homini, ideoque Deus, cujus substantia non scinditur, & cui non est Filius Consubstantialis, unica & solitaria Persona est. Atque hoc sensu verum est, quod affirmant Legati Ancyraei, Samosatenum per *Omoousion* nuncupationem, predicasse in Deo unam esse Personam. Ergo neque fallitur Hilarius, ut contendit Bullus; quia revera Paulus Samosatenus male confessus est *Omoousion*, hanc vocem accipiens eum decisione & defluxu. Nec decepti sunt Patres Ancyraei, quoniam reapse ex *Omoousio* arguebat Sabellianus Deum esse solitariam Personam. Neque erravit Athanasius, nam Samosatenus nunquam revera accepit vocem *Omoousion* pro significatione ejusdem Personæ: quamquam id visum plurimis, vellem valere hanc conciliaturæ rationem; alioquin erravi.

Cæterum Sabellianos nunquam confessos fuisse Christum *Omoousion* Patri, certa mihi argumenta suadent: 1. Nullum exemplum ante Sabellium proferri potest, quo *usque* vocabulum pro Persona, non pro Essentia accipiatur: quamvis scribit Esius Dist. 23. §. 3. Aristotelem in Categoriis nomine *Usque* intelligere substantiam subsistentem, adeoque essentiam simul & personam. Quod falsum puto; nam Categoriæ Aristotelis sunt suprema genera rerum, & *Usque*, sive substantia enuntiatur de Persona; ut ratio quædam communis de inferioribus: & Persona etiam in Aristotelis Philosophia præter rationem communem *Essentia* requirit peculiarem notam; sive

R. P. Berti Theol. Tom. II.

modum essendi, quem dicimus *Subsistentiam*: cui & hoc titulo competit esse *Usque*, quod sit modo præstantiori, & per se; ad differentiam accidentium. Quare ipsi Aristoteli cap. de Substantia; individua formis generibusque subiecta dicuntur *atropia*; sive *atropoi eous*: & alia est *Usque* communis, alia singularis & individua. Itaque cum nullum proferatur exemplum, in quo *Omoousion* Personalitatis significet unitatem, credibile non est Sabellianos hoc sensu confessos esse *Omoousion*; ut hoc nomine à Deo pluralitatem excluderent Personarum. Nam Patres Antiocheni illico respondissent *Usque* non Personam, sed essentiam significare. Deinde cum Athanasio consentiant Basilii, Eusebii Casariensis, Theodoretus, & alii, qui scribunt Sabellianos accepisse *Omoousion*, quatenus sectionem importat naturæ: quos omnes erravisse, haud facile credam. Rursus, ut Epistola 300. inquit Basilii: *Vox ista Omoousios Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypostaseos identitatem, perfectamque personarum notionem inducit; non enim idem ipsi Consubstantialis est; sed alterum alteri.* Non ergo probabile est, Samosatenum hac voce adversus hæresim suam disputasse. Denique non *Omoousion* recipit Sabellianorum error, sed *τὸ αὐτοῦ* quod priori vocabulo opponitur.

Insistes: Cum possit *Omoousion* sensum pati Sabellianum, & defluxum designare naturæ, magis opportunum erat hoc vocabulum reticere.

Resp. id in Concilio Nicæno fuisse sedula animadversione tractatum. Ob prædictam rationem respuebant *Omoousion* non solum Ariani, sed etiam Constantinus Imperator, ut scribit Socrates lib. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 3. cap. 18. & Basilii citata Epist. ccc. affirmat esse excusandos; qui *Omoousion* nolebant initio recipere. Recipit tamen iure, ac merito. Primo quia, ut diximus, partitionem naturæ, non significat nativam propriamque vi, neque ullus veterum hoc sensu vocabulum *Omoousion* protulit unquam; tamen res creatæ, quæ ad eandem Speciem attingunt, *Omoousia* sint eum sectione substantiæ. Deinde Ariani favebantur hoc vocabulo reapse significari communionem naturæ, ut postea contestati sunt in sua Antiochena Synodo sub Joviano apud Socratem lib. 3. cap. 25. & Sozomenum lib. 6. cap. 4. Præterea Nicæni Patres omnem prævium sensum accurate ab hac voce expunxerunt: Etenim definierunt Filium *Essentia*

i4.  
Instantia.

Solutio.

i3.  
Sabelliani  
nunquam  
confessi sunt  
Christum  
fuisse O-  
moousion  
Patri.



ex Patre unigenitum, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, id est, ex substantia Patris, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς: appellarunt Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Θεὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστιν ὁ Θεός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ ἀληθινῆ dixerunt Genitum non factum, γεννηθέντα, οὐκ ποιηθέντα; deum addiderunt Consubstantialem Patri, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ. His omnem aditum fallacia præcluserunt hæreticorum.

15.  
Quæsitum.

Si quæras cur non probarunt potius Nicæni Patres vocabulum, ὁμοεικόσιον, quod significat Substantia similem?

Dico, & istud posse de Filio affirma-

ri, quia cum nulla creatura possit esse solvitur similis Deo, hoc etiam nomine Verbi quæsitum, divinitas propugnatur. Sed quia hoc tanquam propugnaculo utebantur Semiariani, ut excluderent Omoousion, & latet in illo hæreticorum perfidia; est aliquo sensu repudiandum. Me movet, inquit Hilarius in lib. de Synodis n. 89. *Omoousii nuditas. Multa sæpe fallunt, quia similia sunt. Timeo aurum bracteæ, quæ me fallere potest interius, & tamen auro simile est quod videtur. Timeo lactis similitudinem, ne oblatum mihi lac, non lac ovium sit, quia ei simile videatur & bubulum, &c.* Ac de voce ὁμοεικόσιος satis.

## C A P U T XIV.

Quod Spiritus Sanctus sit res subsistens, sive Persona.

### S U M M A R I U M.

1. & 2. Status quæstionis.

3. Probatur, spiritum S. veram, & subsistentem personam esse.

à num. 4. usque ad 15. solvuntur argumenta faulsi Socini.

à num. 16. usque ad 23. respondetur ad argumentationes Wolzogenii.

I.  
Spiritus S.  
est res subsistens, seu persona.

**A**TQUE ad hunc modum controversia de Verbi divinitate se habet. Sequitur, ut de Spiritu Sancto agatur: de quo variae extiterunt hæreses Sadducæorum, qui & Angelos & Spiritum Sanctum negabant; Cataphrygum, sive Montanistarum, qui, ut plerique sentiunt, asseriebant Montanum ipsum esse Paracletum à Christo promissum: Sabellianorum, qui eandem cum Patre Personam Spiritum Sanctum jactabant; aliorumque multorum. Inter quos numerandi mihi sunt primum Macedoniani, deinde Socini Gregales; qui adhuc nos perturbant, & sese his Polemicis disceptationibus miscant. Macedoniana autem hæresis ex Ariana nata est; quippe de divinitate Spiritus Sancti Anomasi, & Semiariani impiissime statuerunt, creaturam esse affirmantes. A Macedonio tamen Constantinopolitano hæresis dicta est, quod is errorem circa annum 360. spargere nefario ausu tentaverit, damnatus opera Athanasii in Synodo Alexandrina paullo post obitum Constantis, anno 362. Hi vero, id est Sociniani, Spiritum Sanctum esse putant virtutem, per quam Deus fideles suos sanctificat, eosque supernaturali potestate ac sapientia exornat, sed nequaquam esse ipsum Deum summum, cujus divinitatem soli Patri censent tribuendam. Itane Macedonianis cedant, Spiritum Sanctum à Deo illo

uno distinguunt; & ne videantur Sadducæis meliores, negant quoque aliquam esse personam. Utrumque contra Pneumatomachos istos, id est, Spiritus Sancti Impugnatores, debemus discutere.

Principio autem negandum non est, aliquando Spiritus nomine in Scripturis dona, & charismata designari, quod sæpe effecta ac munera demonstrantur nomine Personarum. Quis enim negat Epistolam E. G. cordis affectionem significari Psal. L. 12. his verbis: *Spiritum rectum innova in visceribus meis?* aut doctrinam, ubi Joan. Epist. I. cap. IV. I. monet ne credamus *omni Spiritui?* aut virtutem in verbis Luca I. 17. *Præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ?* aut eccliam, quando ait Joannes Apocalyps. I. 10. *Fui in spiritu in Dominica die?* &c. His, aliisque pluribus Divini Spiritus munera designari nullus negat; nec tamen consequitur Spiritum Sanctum nihil esse præter participationem divinatorum donorum, cum effecta, ut diximus, pro suis causis frequentissime memorentur. Et tamen his fidunt perquam maxime Sociniani: quare sit,

PROPOSITIO: Spiritus Sanctus vera est, & subsistens Persona.

Tertio hujus libri cap. hæc propositio validis probata est argumentis. Quorum summa hæc est. Descendere, mit-

2.  
Nominem Personarum sæpe effecta, & munera designantur.

3.  
Propositio probatur tribus argumentis.

ti,



ti, federe, opera sunt Personarum. At de Spiritu Sancto legimus descendisse de caelo, missum fuisse, & sedisse super discipulos. Est ergo Spiritus Sanctus Persona. Item: Confertur baptismus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Pater & Filius Personae sunt: Igitur Persona est etiam Spiritus. Rursus: Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: Duo priores, qui perhibent testimonium, sunt res subsistentes ergo subsistens erit etiam tertius. Inania hæreticorum subterfugia, citato Capite refutavimus; & quarto, & sexto solvimus argumenta, quæ generaliter divinarum Personarum impetunt pluralitatem. Remanent quædam particularia, quibus solam tertiam Trinitatis Personam subvertere nefarii hostes conantur. Sunt autem.

ARGUMENTA FAUSTI SOCINI TOM. 2.  
P. 438. ET SEQQ.

4. Objectiones  
fausti socini. Nituntur probare Catholici Spiritum Sanctum esse personam quibusdam Sacris testimoniis, quæ evincunt oppositum: quod ita potest ostendi. Arguunt ex forma baptismi, & Matth. cap. 111. 11. legimus: *Ego quidem baptizo vos Aqua, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni. At persona non potest esse id, quo aliquis baptizatur; alias esset Persona Aqua, esset Persona & ignis. Quare si baptizamur Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus nequit esse persona.* Neque obstat, quod cap. xxvi 11. ponatur Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio, qui sunt Personæ; quum sæpe cum personis res non subsistentes jungantur, ut ad Eph. vi. 10. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*, Et 1. ad Thessalon. 1. 2. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro &c.*

5. Objectiones  
ulteriores. Minus probant argumenta deducta ex operibus, quæ communiter notæ sunt Personarum. 1. Sicut tribuitur Spiritui Sancto loqui Marci xiii. 11. ita loqui dicitur lex ad Rom. 111. 19. *Quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur*, & ad Hebræos cap. xii. *Sanguinis asperionem melius loquentem quàm Abel.* Sed lex, & Sanguis Personæ non sunt; Ergo nec Persona erit Spiritus Sanctus, qui loquitur. 11. Lucæ xii. 12. dicitur de Spiritu Sancto: *Docet vos.* At in 1. ad Corinth. xi. 14. habetur *Ipsa natura docet vos.* Et 1. Jo. 2. 27. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Quomodo ergo neque natura, neque Dei unctio Persona sunt; ita nec Dei Spiritus. 111. Lucæ 11. 25. scriptum est:

*Spiritus Sanctus erat super eum:* Atqui esse super aliquem non de personis, sed de aliis rebus dicitur, ut Jo. 3. 36. *Ira Dei manet super eum:* & ad Galat. vi. 16. *Pax super illos, & misericordia;* Igitur neque hinc efficitur Spiritum Sanctum esse Personam. iv. Neque id evincitur, quod Spiritus Sanctus dicatur venire, mitti, procedere, testimonium dare, mundum arguere: quæ munera videntur personæ. Etenim venire dicitur Dei regnum, mandatum, fides, ira, &c. Luc. 17. 20. Rom. 7. 9. Galat. 3. 23. &c. Item mitti dicitur auxilium Psalm. 20. 3. misericordiam & veritatem Psalm. 57. 4. Redemptionem Psalm. 110. 9. Iram indignationis Psalm. 78. 49. Procedere etiam Marc. 7. 15. de rebus dicitur, quæ non subsistunt. Testimonium vero perhibent etiam opera Joan. x. 25. & aqua, & sanguis 1. Epist. v. 8. Rursus arguere aliquem dicitur malitia apud Jeremiam 2. 19. conscientia Jo. vii. 9. ad Rom. 2. 15. & lex Jacob 2. 19. Igitur nullum ex his operibus Spiritum Sanctum Personam esse demonstrat. v. Neque id probatur ex quo Spiritus Sanctus dicatur Paracletus & Consolator, quandoquidem Psalm. 22. 4. habetur: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Nec quisquam refugiet hunc modum loquendi: Nos divinarum gratiarum ubertate consolamur. vi. Neque probatur Spiritum Sanctum esse Personam non Dei virtutem, ex quo nonnunquam jungantur simul virtus, & Spiritus Sanctus. Nam ad Romanos xv. 19. scriptum est: *In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti.* Si ergo Persona non sunt signa, & prodigia, quare Persona creditur esse Spiritus Sanctus? Hæc Socinus priori contra Spiritum Sanctum libro, sive explanatione locorum, quæ pro ejus divinitate afferuntur.

6. Solutio 1. Resp. ad 1. Quod baptizari Spiritu Sancto significat quidem interius animæ lavacrum, id est sanctificationem & gratiam, per quam baptismus Christi præstantior est baptismate Joannis, qui erat tantum in aqua, nec conferebat remissionem peccatorum, nisi per pœnitentiam eorum, qui tangebantur baptismo. Neque directe hinc probatur Spiritum Sanctum non esse personam, sed eruitur oppositum: quippe remissio peccatorum, quæ metonymice dicitur Spiritus Sanctus, eo quod res effecta interdum accipitur pro personâ efficiente, & econtra; atque, ut ait Joan. 11. 6. *Quod natum est ex Spiritu Spiritus est:* remissio, inquam, peccatorum, charitas, regeneratio,



generatio, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ut habetur ad Rom. v. 5. Si autem remissio peccatorum est res à Spiritu Sancto effecta; & ab eo consequenter distincta; sequitur præter Spiritum Sanctum, qui est donum Dei, charisma, & salutare *ἐνέπνυμα*, dari Spiritum Sanctum, qui est Persona nobis data; renovans corda, & sanctitatem efficiens. Quare concedo non esse rem subsistentem veramque personam gratiam, qua baptizamur, quomodo persona non est aqua, qua abluimur; sed nego personam non esse Spiritum Sanctum, per quem gratia regenerationis diffunditur. Quod spectat ad cap. xxvi. 11. Matth. dico non ex sola unione effici Personam esse Divinum Spiritum, sed ex unione simul, & τὸ ἰν nomine. Baptizari enim in nomine aliquis est aut baptizari invocato ejus nomine, aut sese ei devovere ac mancipari: atque Personarum invocatur nomen, in Personas juramus, Personis nos mancipia devovemus. At de his cap. III.

7. 1  
Solutio 2.

Ad aliud Argumentum: nemo sanæ mentis negat, nonnunquam in Sacris literis res inanimatas cum verbis necti, quæ Personarum significant operationes; sed certi sunt characteres, quibus Personæ à rebus cæteris fecernuntur. Prima regula est enallages pronominis, per quod ubicunque non respondet proximo vocabulo, & conjungitur cum verbo significante operationem Personæ; semper vera Persona demonstratur. Ita Matth. xxix. 19. legitur: *Docete omnes gentes, πᾶντα τὰ ἔθνη*, baptizantes eos, *αὐτοὺς*; &c. ubi neutro masculinum pronomen respondet, quia sermo est de hominibus. Ita ad Rom. ix. 23. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ ἐν ἡμεῖς*, sequitur v. 24. pronomen relativum *ἃς* quos quia de prædestinatis sermo est. Ad Coloss. pariter 11. 19. ubi agitur de Christi Persona ad femininum *τὴν κεφαλήν*, Caput, sequitur masculinum *ἐξ ἧς*, Ex quo. Possent vero proferri innumera id genus exempla. Altera regula est, quod attendi debent verba antecedentia, & consequentia, unde facile *προσωποποιεῖται* dignoscitur. Quippe nulli legimus E. G. coelum enarrare quæ audit, terram audire quæ intelligit, jumenta cognoscere quæ meditantur; quemadmodum hæc legimus de Personis, tametsi per Prosopopæiam dicantur coeli, terra, jumenta loqui, audire, cognoscere. Tertia regula est, quod cum vocabula diversimode accipiantur, E. G. nomen Spiritus pro energia, & pro re

subsistente, ubicunque non possunt accipi pro uno, necesse est ut accipiantur pro altero: & consequenter ubi nomen Spiritus donum & energiam non significat, debet personam aliquam designare. Quare cum Joan. 7. 39. scriptum sit: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus*: & 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet*; atque his locis nomen Spiritus; & Paracliti, nequeat significare solam virtutem & energiam; quoniam hæc ante glorificationem, & ascensionem Christi cum Patriarchis, tum ipsis Apostolis collata fuerat; consequens est, ut Spiritus Paraclitus; qui glorificato Christo descendit, non sit sola virtus & energia, sed persona & substantia cujusque supernaturalis virtutis effectrix & dispensatrix. Quarta regula sit, *πνεῦμα*, Spiritum, quamquam plures patitur significationes, quotiescunque ponitur cum articulo, unam tamen certam & singularem significare; articulus enim Græcorum singularitatis nota est, ut constat ex Tractatu Constantini Chienensis ad calcem Schrevelii. Didymus lib. 1. de Spiritu Sancto observat ut plurimum in Scripturis non simpliciter *πνεῦμα* dici; sed τὸ *πνεῦμα* cum articulo; & contra ubi de Spiritu creato sermo est, articulum non haberi. Rejicit hanc regulam Sal. Glassius Can. 3. de Pronomine, quia τὸ *πνεῦμα* cum articulo Spiritus Sancti dona significat Eph. iv. 23. 1. Thess. v. 19. & 1. Joannis iv. 1. Et vicissim *πνεῦμα* sine articulo Spiritus Sancti Personam significat Jo. 3. 5. 1. ad Corinth. xii. 11. Epist. Jud. vers. 19. At observat Didymus, quod sicubi raro sine articulo nominatur Spiritus Sanctus, est tamen cum additamento significante magnificentiam ejus. Quod & servatur locis citatis à Glassio. Etenim Jo. 3. v. 6. sequenti distinguitur inter Spiritum, qui est donum regenerationis, & Spiritum qui est Deus hujus generationis spiritualis auctor; ut diximus supra, & probat idem Glassius Tract. 1. Rhet. Sacre pag. 1428. In 1. Ep. ad Corinth. xii. 11. non solum articulus invenitur, sed emphasi majori repetitur, *τὸ ἐν, ἡ τὸ αὐτό*, Ille unus, ille idem: & ibi distinguuntur etiam divisa charismata ab uno Spiritu, qui ea dividit singulis; prout vult. In v. autem 19. Judæ non Personam Spiritus Sanctus, sed pium desiderium, quod hujus Personæ donum est, rectissime intelligimus, & ex uno inferimus alterum. Quod vero τὸ *πνεῦμα* cum articulo interdum dona Spiritus Sancti significet, figura est metonymiæ, qua



qua pro rebus effectis ponitur ipsa Persona, ut docet eodem libro Rhet. Glasius ipse. Itaque regulam Didymi constanter teneto.

8. Vanitas argumentorum Socini. Jam vero apparet vanitas argumentorum Socini, quandoquidem de lege, & de sanguine dicitur quod loquantur per figuram Prosopopœæ; at non dicuntur loqui quæ audiunt, quomodo dicitur Spiritus Sanctus Jo. xvi. 13. qui proinde loqui dicitur proprie, non tropo. Eodem cap. xvi. Jo. in quo Spiritus Sanctus dicitur venire, mitti, docere, arguere, per enallagen pronominis demonstratur esse personam, quemadmodum & cap. xv. 26. ad τὸ πνεῦμα enim neutrius generis additur masculinum pronomen ἐκεῖνος, Ille. Habetur & nota singularitatis articulus. Additur ubique cum emphasi pronomen & demonstrativum, & relativum: quare Spiritus Sanctus proprie mittitur, proprie loquitur, proprie perhibet testimonium, proprie est Paracletus & consolator, proprie munera exeret Personæ; neque urgent metaphoræ ad numerum usque sextum prolatae. Lucæ etiam ii. 26. & 27. τὸ πνεῦμα est cum articulo; unde vel de persona accipiendum est, vel metonymice de ejus effectibus, ut dictum est supra: ac phrasis græca ἐπ' αὐτόν, super ipsum, exprimit solum virtutem Spiritus Sancti divinam esse, & ex alto: unde cap. præced. v. 35. dicitur supervenire. Vulgata nostra legit priori loco: Spiritus Sanctus erat in eo. Deum in Epist. ad Rom. xv. 19. si per Spiritum Sanctum velis accipere effecta, & dona charismatum, liceat per me quidem: sed non est eadem ratio de omnibus sacris testimoniis, neque effectus & energia negat propriæ causæ substantiam.

ARGUMENTA EJUSDEM SOCINI IN LIBRO  
CONTRA WIEKUM CAP. X.

9. Obiectio 1. Socini. Rursus opponit Faustus Socinus. 1. Charitati tribuntur actiones, quæ sunt propriæ Personarum: cujus rei plenissimam fidem facere potest Paulus Epist. ad Corinth. prima cap. xiii. à v. 4. usque ad nonum. Quod si quis dixerit Paulum loqui figurate, & charitatis nomine eum intelligere, qui charitate præditus est; non video cur idem dici nequeat de Spiritu Sancto, cui interdum operationes Personarum attribuntur.

10. Solutio. Resp. disparem esse de charitate, quæ est gratiæ donum, & de Spiritu Sancto, rationem. Tropi namque & ex verborum complexu, & ex subjecto

possunt cognosci; ut cum dico, montes exultant, plaudunt flumina, prata ridet, nemonon videt metaphoram, cum neque montes, neque flumina, neque prata nomina sint Personarum. At Spiritus nomen Personæ est, neque significat solam energiam, sed aliquando rem subsistentem, præsertim ubi characteres reperiuntur Personæ; de quibus supra. Do etiam recte dici, Spiritus loquitur quæ sunt Dei, & alia innumera, de homine habente dona Spiritus Sancti; quomodo legitur, Charitas non æmulator, non agit perperam, & cetera hujusmodi, de homine prædico charitate. At alia est charitas, quæ diffunditur in cordibus nostris, alia charitas, de qua dicitur 1. Joan. 4. 16. Deus charitas est. Et alius Spiritus, qui est charisma & gratia, alius Spiritus, de quo ait ipse Jo. iv. 24. Spiritus est Deus. Videant ergo Sociniani dari duplicem charitatem, duplicem Spiritum, accidentalem & substantialem, effectum & causam, donum & Personam. Præterea Socinus statim post præfatam argumentationem pag. 621. Deum Personam esse sic demonstrat: Deum esse Personam declarat Paulus, cum ait: 1. Corinth. 2. 20. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum Sanctum. Revelare enim est actio. Actiones autem sunt Personarum, seu suppositorum. Neque vero hic ulla prosopopœia, aut metaphora esse potest. Bene habet. Actio revelandi non tribuitur nisi personæ. Quid vero annuntiare quæ ventura sunt? quid omnia operari? quid velle? quid præcipere? Hæc omnia Spiritui Sancto tribuntur Jo. xvi. 13. 1. ad Corinth. xii. 11. Act. xiii. 2. &c. Si persona est qui revelat, quare persona non est qui annuntiat futura? Quid inter revelare, & annuntiare futura, quæso, interest? Vide & Apost. in 1. ad Timoth. iv. 1.

Arguit 2. Spiritus Sanctus est Spiritus Dei; Spiritus alicujus Personæ non est Persona ab ea, cujus est Spiritus, distincta; Ergo Spiritus Sanctus non est Persona distincta à Deo.

Primo hoc argumento probatur Spiritum Sanctum non solum esse Dei virtutem communicatam creaturis, ut contendunt Sociniani, sed præterea esse ipsam Dei substantiam, quemadmodum Spiritus hominis substantialiter in homine est; de quo vide Tertull. adversus Prax. cap. 8. Deinde conceditur totum argumentum, quippe Spiritus Sanctus non est Persona distincta à substantia Dei; sed tamen Persona est. Præterea dist. majorem: Spiritus non est

11. Obiectio 2.

Solutio.



est Persona, si nomine Spiritus intelligas partem essentiae, ut est Anima rationalis, conc. Si intelligas rem subsistentem, ut sunt Angeli, & qui in Trinitate ad Patrem & Filium refertur, nego.

12.  
Instantia.

Inquit Socinus: Ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 11. 11. *Nemo scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Comparat D. Paulus Spiritum Dei cum Spiritu hominis. Igitur quomodo Spiritus, qui est in homine, non est Persona ab homine distincta, sic Spiritus Dei non est Persona distincta à Deo.

Solutio.

Resp. retorqueo argumentum. Spiritus hominis pertinet ad substantiam hominis: Ergo Spiritus Dei attinet ad essentiam Dei. Cumque in Deo substantia sit impartibilis, Spiritus Dei totam habet plenitudinem divinitatis. Nunc quæro à Socino: Quis est ille Deus, in quo Spiritus est, ut Socinus ait, naturaliter? Certo Pater, qui solus est Deus ille summus, si credimus Socinianis. At Apostolus statim addit, Spiritum esse ex Deo, *Qui ex Deo est*, inquit. Qui autem est ex Deo, scilicet à Patre, non est Pater. Est ergo Spiritus, qui non est Pater, & tamen plenitudinem habet divinitatis.

13.  
Replicatio.

Instat. Unam Personam esse in alia naturaliter fieri non potest: Deus, in quo est Spiritus Sanctus, est Persona: Ergo Spiritus, qui est in Deo naturaliter, Persona non est.

Solutio.

Falsa est major, quandoquidem Joannis XIV. 10. 11. legimus Filium esse in Patre, & Patrem in Filio. Quomodo id fiat, dictum est cap. VI. ad 8. Oppos.

14.  
Obiectio 3.

Obicit 3. Socinus: Spiritus Dei nomine significatur virtus & efficacia, ut Esaia 40. 7. legitur exarescere herbam, & cadere florem, cum Spiritus Domini sufflaverit in eum. Quis autem virtutem & efficaciam dixerit esse personam?

Solutio.

R. non solum virtutem & energiam hac voce Spiritus concedimus significari, sed etiam ventum, vocem, animum, affectum, substantiam, quæ corpori vitam subministrat, & alia, quæ collegit Joannes Clericus P. 2. Art. Crit. Sect. 1. cap. v. Frustra tamen hinc inferes nullibi eo nomine designari personam, præsertim ubi recensitæ personarum notæ reperiuntur. Imo, quod sæpe monui, efficientis personæ res effecta nomen sortitur; & Spiritus Sanctus propterea appellatur, quidquid ipse præstat. Nam & hoc pacto animam pro vita aut voluntate, Moysen & Prophe-

tas pro eorum libris, linguam, labium, guttur pro sermone, gladium pro cæde, & manus pro conatu, & auxilio, consuetudine orationis memoramus.

Arguit 4. Socinus. Spiritus Sanctus appellatur bonus Psal. 14. 2. & per antithesim aliquando etiam Spiritus Dei malus ut 1. Regum XVIII. 10. & XIX. 9. Sed Spiritus Dei malus est vis & efficacia Divina, qua homines in reprobum sensum dantur, aut alia ratione affliguntur. Ergo Spiritus Dei bonus est virtus & efficacia, per quam sanctificantur, & gaudio, bonisque replentur.

15.  
Obiectio 4.

Respondeo spiritum malum, quo abreptus Saul coepit absurda effutire nesciens quid loqueretur, (quæ agitatio prophetarum verbis comparatur, quoniam & prophetæ sermonem interdicunt, & immisso sibi æstro ducuntur, (fuisse spiritum nequam ac dæmonem, Hebræorum, Patrum, omniumque interpretum consensione. Quod & ratione constat, siquidem malum non est à Deo nisi permittente; neque efficientia sua tradit Deus quemquam in reprobum sensum, ut effutit hæreticus ad instar Saulis prophetans. Retorqueo itaque argumentum: Spiritus malus non solum est atrabilis, melancholia, & vis exagitans energumenum, sed etiam Diabolus, spiritus nequitiae, & princeps hujus sæculi, qui hæc operatur. Ergo Spiritus Sanctus nedum dicitur virtus, & efficacia bonorum, sed etiam Spiritus Dei, qui est Persona munerum & gratiarum effectrix. Neque vero aliquem movere debet, quod immundus Spiritus vocatur Spiritus Dei malus: quandoquidem & diabolus Dei servus est ac mancipium, & Deo permittente Saulem invasit, & Divinæ justitiæ minister est. Habet Græcus hoc loco: *Kai êntes πνέυμα πονηρὸν θεοῦ πνεύμα: Cecidit Spiritus à Deo malus.* Verbum *êntes* significat immundum Spiritum Deo permittente Saul invaluisse & propositio *παρα* hunc Spiritum Deum non esse demonstrat. Id colligitur etiam ex Chaldaeo, qui legit: *Et mansit Spiritus malus ab ante Dominum super Saul:* קָרַם יְיָ עַל שָׂאוּל.

וְשָׂרַת רוּחַ בְּיָשָׁא

ARGUMENTA WOLZOGENII EX LIBRO DE  
TRIBUS IN UNA DEITATE PERSONIS  
CAP. V. ET XXVIII.

Argumenta Wolzogenii, præter superiora, quæ ipsi & Crellio, & Wolkelio communia sunt, Tom. 2. pag. 303. ita urgentur. I. Spiritus Sanctus Lucae

16.  
Objectiones  
Wolzogenii.  
XI.



x1. 20. appellatur digitus Dei, Act. 2. 38. Dei donum. 2. ad Corinth. 1. 22. arrhabo. Ergo Persona dici nequit. Præterea de Spiritu Sancto legimus ad Tit. 3. 6. quod in homines effundatur. 1. ad Corinth. x11. 13. quod in eo homines portionentur. Act. 2. 18. quod aliquam habeat partitionem; ad Rom. vii11. 23. quod dentur Spiritus Sancti primitiæ. Ad Thesal. 1. cap. v. 19. quod possit à nobis extingui. Quæ omnia nequaquam possunt personæ competere. Item Jo. 7. 39. absolute dicitur, quod Spiritus Sanctus non erat.

17.  
Solvuntur 1.

Solvuntur omnia uno verbo, si respondetur Wolzogenium Spiritus Sancti dona cum ejus Persona confundere. At quoniam hæc Divinæ quoque Personæ non repugnant, hæc sit ad singula responsio. Primum digitus Dei summam Dei potestatem significat, ut constat ex cap. vii11. Exodi 19. & diximus lib. 2. cap. 2. Summa autem virtus, sive virtus Dei debet esse idem ac Dei substantia, non enim in Deo virtus ac potestas ab ejus natura distinguitur. Quare si Spiritus Sanctus est digitus Dei, substantia Dei est, & Deus summus. Confer Psalm. vii11. v. 4. 11. Donum aliud est personale; accidentale aliud: donum accidentale est munus gratiosè collatum; personale est ipsa persona, quæ aut se ipsam donat, aut dono datur ab altera. Quo sensu & ipse Filius donum est, ut habetur Joannis 3. 16. Ita Levitæ appellatur donum datum Aaron Num. vii11. 19. Ergo Spiritus Sanctus donum est personale, qui est Persona, quam ad nos in nomine Filii misit Pater. Imo donum est titulo quodam specialissimo, quoniam est Patris & Filii mutuus Amor; & quemadmodum amor & donum est, & causa donorum, ita Spiritus Sanctus & Charitas est, & charitatis largitor. III. Arrhabo, de quo in 2. ad Corinth. 1. 22. fidejussionem significat. Etenim ערבון hebræa vox est ab ערב fide jubere, unde græcum ἀρραβὼν, latinum *arrha*; & proprie portio est rei quæ promittitur, & exprimit aliquid supra *pignus*, ut rectè observat Augustinus serm. 13. de verbis Apost. Quare Spiritus Sanctus, qui non solum est pignus, sed etiam Ἀρραβὼν, ad rem ipsam spectat, quæ nobis promittitur. Cum autem nobis promissa sit vita æterna, quæ est visio Dei; Spiritus Sanctus una cum Patre & Filio est vita æterna & ipse Deus. Præterea, si bellum inter se gerentes obsidem dare solent pro pace firmanda, aut filium, aut principem nobilissimum;  
R. P. Berti Theol. Tom. II.

cur ἀρραβὼν nobis datus à Deo non poterit esse persona? Quod si pertinax sit adhuc Wolzogenius, & omnino velit Arrahona esse pignus à Persona distinctum, ut Judæ annulus & armilla; etiam hoc animadvertat, scriptum esse *pignus Spiritus*, non *pignus Spiritum*, ἀρραβὼν ὡς πνεύματος, non ἀρραβὼν τὸ πνεῦμα. Inquit Wolzogenius, appellatur Spiritus Sanctus etiam signaculum, & unctio Dei. Ita est. Verum hoc signaculo, unctione ista fit homo Templum Dei, particeps Dei, imago Dei, per gratiam sanctificantem, quæ est participatio Divinæ naturæ. In hoc cognoscimus, ait Joannes Epist. 1. iv. 13. quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et Athanas. in Ep. ad Serap. Si participatione Spiritus Divinæ naturæ participes efficiamur; insanus est quicumque Spiritum creatæ conditionis & naturæ, non autem Divinæ esse dixerit. At de Spiritus Sancti divinitate proximo capite.

18.  
Solvuntur 2.

Textus secundo loco citati de effectibus, donisque Spiritus Sancti explicandi sunt. Dicitur ergo ad Tit. 111. 6. effundi in gratiæ muneribus: nam hoc loco Spiritus sine articulo est; ac præterea habemus contextum Act. x. 45. *Gratia Spiritus Sancti effusa est*. Ulterius *effusio* largam communicationem significat, seu copiosam gratiarum exhibitionem. Etiam Christus Psalmo xxi. 15. effusus dicitur, sicut aqua, & tamen liquet eum esse personam. Dividitur verò Spiritus ratione symbolorum: in quorum divisione unitatem servat substantiæ, ut colligitur ex cap. 2. Act. Ap. v. 3. ubi recensetur multitudo linguarum, & unus Spiritus. In cap. vii11. ad Rom. 23. primitiæ Spiritus Sancti dicuntur electi, quomodo & Apocalypsis xiv. 4. nec video quid hinc inferre valeant hæretici, cum & primitiæ dicantur de Christo, quem nullus ambigit esse personam, in 1. ad Corinth. xv. 20. 23. In Epist. ad Thessalon. 1. cap. v. 19. hortamur ne extinguatur Spiritus, posito per metonymiam nomine personæ pro re effecta; idque propriissima comparatione, cum Spiritus in ignis forma descenderit.

19.  
Solvuntur 3.

In cap. vii11. Joan. 39. non omnia exemplaria concordant. Habent aliqua Græca ἔτιω γὰρ ἢ πνεύμα αὐτοῦ ἐν αὐτοῖς. *Nondum erat Spiritus Sanctus super ipsos*. Addunt quædam δόξα μὲν, *datus*: atque his consentiunt Syriaca. Rectissime ergo Vulgata: *Nondum enim erat Spiritus datus*. Quare frustra colligit hinc Sociniani olim Spiritum Sanctum non extitisse. Etiam si genuina esset lectio, Non-

K



*Nondum enim erat Spiritus Sanctus, subintelligeretur datus ex relatione antecedentium: quandoquidem hæc immediate præcedunt, Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Sunt enim accipere, & dare correlativa. Puto Wolzogenium figuram non ignorasse Grammatices, quam vocant Ellipsim.*

20.  
Instantia  
Wolzogenii.

Arguit idem Wolzogen. cap. xxviii. Si Spiritus S. sit Persona, duos habebimus in Trinitate Filios: unum primæ Personæ solius, alterum primæ & secundæ. Item habebimus duos Patres, unum primam personam, quæ duplici nomine pater erit, nempe quia secundam & tertiam Personam generavit; alterum secundam, quæ una cum Patre generavit Spiritum Sanctum. Atqui ex sacris literis accepimus unum tantum esse Patrem, & unum tantum Filium. Ergo vulgaris doctrina quod Spiritus Sanctus Persona sit, contradictionis gladio se ipsam conficit.

21.  
Solutio.

Resp. nego sequelam majoris. Si enim Spiritus Sanctus est à duobus, ut contra nos arguunt Sociniani, quod verissimum est, & infra probabitur; jam ipsi rationem reddunt cur unus tantum in Deitate sit Pater, itemque unus Filius. Nam Filius est ab uno Patre, & ab eo gignitur immediate. Si ergo Spiritus Sanctus est à Patre, & Filio, sive à Patre per Filium, non erit Filius Filii, quia procedit etiam à Patre; non erit Filius Patris, quia procedit per Filium. Quod verbis Augustini præstat exponere. *Ut cumque* (ait S. P. in xv. de Trinit. cap. 27.) *etiam illud intelligitur, quantum à talibus, quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus; quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur: quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris, & matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium, aliquid tale suspicemur, &c.* Quamquam vero quid intersit inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti difficillimum est definire, & plures afferuntur rationes, quas proponam lib. ix. hæc à Petavio lib. vii. cap. xiii. num. 9.

cenfetur enucleator, & Wolzogenii argumentum omnino frangit, quemadmodum quæ opponit Crellius lib. 2. sect. 3.

Ultimo arguit Wolzogenius in libro, seu declaratione contrariarum sententiarum de essentia unius Dei summi pag. 38. Quando aliquis Filium generat per aliam Personam, certe hæc Persona magis est geniti Filii Pater, quam altera, quæ hanc ad illum generandum adhibuit. Atqui notum est, non Deum Patrem ipsum, sed Spiritum Sanctum supervenisse in Mariam Virginem, eam obumbrasse, & per obumbrationem istam Filium Dei in ea produxisse. Ergo si Spiritus est Persona à Patre distincta, potius pro Patre Domini nostri Jesu Christi habendus est, quam Deus Pater.

22.  
Objectio ult.  
tima Wol-  
zogenii.

Respondeo Dominum nostrum Jesum Christum non esse genitum à Patre ratione humanæ naturæ temporaliter assumptæ, secundum quam non est Patri substantia similis, ideoque nec Filius: sed genitum esse ratione Verbi assumptis naturam humanam, nempe quia generatio temporalis terminata est ad Personam, quæ est Filius Dei naturalis. Distinguo itaque minorem. Pater per Spiritum Sanctum supervenientem in Virginem produxit Filium, id est naturam humanam, quam Verbum assumpsit; concedo minorem, & nego *suppositum*: quandoquidem spectata duntaxat natura humana, Christus est Filius genitus à sola Virgine, non genitus à Deo Patre. Pater per Spiritus Sancti obumbrationem genuit Filium, videlicet humanam naturam Spiritu Sancto superveniente formatam assumpsit Persona genita à Deo Patre; concedo: & nego iterum *suppositum*, siquidem hæc persona non est producta per Sancti Spiritus obumbrationem, sed erat in principio apud Deum, & ipsa Deus erat. Quod si petas, quare Spiritus Sanctus, cujus virtute formata est Christi caro, non sit Pater Christi, respondeo id esse, quoniam Christus secundum carnem non est similis Spiritui Sancto. Verum hæc non spectant ad nostram cum Socinianis disceptionem, cujus metam videor mihi attigisse.

23.  
Solutio.

## C A P U T XV.

Macedoniana hæresis impugnatur.

### S U M M A R I U M.

I. 2. 3. & 4. Afferuntur argumenta pro Spiritus S. divinitate pugnantia.

à num. 5. usque ad 14. refutantur effugia Macedonianorum.

PLURA



Maccedonia-  
na heresis  
circa Spiritum  
S. impugatur.

**P**LURA sunt, quæ pro Spiritus Sancti divinitate à Theologis afferuntur, & omnia fere collegit Didymus duobus primis libris, quorum lectio erit in hac questione perutilis. Nonnulla quoque superius à nobis fuerunt pertractata; nec studiosis nostris ducimus repetenda. Exquisitoria autem illustrantur à Cyrillo in lib. Thesaurorum, ab Athanasio in Epist. ad Serapionem, à Basilio, & Ambrosio in libris, quos de Spiritu Sancto inscripserunt, ab Augustino contra Maximinum, aliosque hæreticos Arianos disputante, à Chrysostomo hom. 89. quæ est de Pentecoste, ab aliis.

1.  
Probatio 1.  
ex Nominibus  
S. Spiritus.

Horum Patrum argumenta hæc sunt potissima. Primum petitur ex nominibus, quæ Spiritui Sancto tribuuntur. Etenim appellatur Deus nomine quatuor syllabarum Isaia 6. 9. Psalm. 94. 8. 1. ad Corinth. 12. 11. Nam verba Isaia ac Davidis de Spiritu Sancto accipienda, liquet ex Act. Apost. cap. 28. 25. & ex Epist. ad Hebræos cap. 3. 7. Vocatur etiam Dominus 2. ad Thessalon. 3. 5. & in 1. 3. 2. Quod etiam dicitur *arriba*, & pars hæreditatis electorum, *digitus* & virtus & Altissimi, sunt ipsius divinitatis apertissimi characteres.

2.  
Probatio 2.  
ex proprietatibus.

Petit alterum argumentum ex proprietatibus ejus: quarum una est à Deo procedere. Nihil autem potest à Deo procedere diversum à divinitate, alias esset Divina substantia origo accidentium, & adinstar arborum, quæ flores, aut fructus emittunt. Competit illi animam sanctificare: atque de hac ejus efficientia plura notatu digna scribunt Patres. Primo quod per gratiam sanctificantem dicitur Epist. 1. Joannis cap. 2. 24. Deus in nobis habitare. Quomodo non est ergo Spiritus Sanctus Deus de Deo, si qui habet Spiritum Sanctum, habet in se Deum habitantem? Ad hæc per Spiritum Sanctum, & charitatem per eum diffusam recipit homo lavacrum regenerationis, & renovationis, ut loquitur Paulus ad Tit. 3. 5. Quænam vero creaturarum potest creaturam regenerare, & renovare? Item per hanc gratiam fiunt membra nostra *templum Spiritus Sancti*, ut loquitur Apostolus 1. ad Corinth. 3. 16. At templa non eriguntur, nisi aut vero Deo, aut iis, qui pro vero Deo reputantur. Tribuitur quoque Spiritui Sancto, quod suscitaverit Christum à mortuis, & vivificaturus sit corpora nostra, ad Rom. VIII. 11. Quare, cum verus Deus sint Pater & Filius, de quibus ait Jo. v. 21. *Sicut Pater suscitavit mortuos, & vivificavit; sic* R. P. Berti Theol. Tom. II.

& Filius quos vult vivificat; necesse est, ut Spiritum Sanctum verum Deum fateamur. Convenit illi quoque alium esse à Christo Consolatorem & Paracletum, & *ad alium* comparisonem simul, & personalem distinctionem importare arbitror manifestum. Alias non expediebat Apostolis Magistram abire, si pro Domino Jesu Christo, aut creaturam, aut rem minime subsistentem accepturi fuissent.

Tertium argumentum promitur ex Divinis attributis, quæ Spiritui Sancto convenire prædicti PP. luculenter demonstrant. Etenim Spiritum Sanctum scrutari omnia etiam profunda Dei probant ex Epist. Pauli 1. ad Corinth. cap. 2. 10. Esse creatorem universorum ostendunt ex verbis Job. 33. *Spiritus Dei fecit me: & ex Ps. 32. Verbo Domini celi firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Effici ab eo operationes naturæ, & gratiæ ostendunt ex Psalm. 103. 30. & ex 1. ad Corinth. 6. 11. Habere immensitatem, terramque replere inferunt ex Sap. 1. 7. & ex Psalm. 138. 7. Misisse nobis Redemptorem arguunt ex Eccl. 48. 16. *Nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Christi Corpus in utero Virginis procreasse demonstrant ex Lucæ 5. 35. Præfisse regimini Ecclesiæ ex Act. Apost. 13. 2.

Argumentum quartum profertur ex perfecta Patris, Filii, & Spiritus Sancti communione: quam comprobant. I. Quia tres Personæ simul fuerunt Dux Israëliti populi, Pater, de quo Hierem. 2. 6. *Dominus traduxit nos per desertum:* Filius, de quo Psalm. 79. 10. *Dux itineris fuisti in conspectu ejus:* Sp. S. de quo Elaias 63. 14. *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* II. Quia tres pariter locuti sunt in Prophetis; Pater, de quo Zacch. 1. 6. *Verba mea, & legitima mea, quæ mandavi servis meis Prophetis:* Filius, de quo Isaias 52. 6. *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum:* Spiritus Sanctus, de quo Act. 1. 16. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus, &c.* III. Quia tres una Hierarchiam Ecclesiasticam instituerunt; Pater de quo 1. ad Corinth. 12. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, &c.* Filius, de quo ad Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c.* Spiritus Sanctus, de quo Act. 20. 28. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* IV. Quia tres implent ex æquo universum; Pater, de quo Hierem. 23. 24. *Cælum & Terram ego impleo:*

3.  
Probatio 3.  
ex D. attributis.

4.  
Probatio 4.  
ex perfecta  
Communione  
Patris, Filii,  
& Spiritus  
Sancti.



*impleo*: Filius, de quo ad Ephes. 4. 10. *Implet omnia*; Spiritus Sanctus, de quo Sap. 1. 7. *Replevit orbem terrarum*. V. Quia tres dicuntur eadem ratione ignoti mundo; Pater, de quo Joan. 17. 25. *Pater iuste, mundus te non cognovit*; Filius, de quo cap. 1. 10. *Et mundus eum non cognovit*: Spiritus Sanctus, de quo cap. xiv. 17. *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum*. VI. quia tres eadem ratione testimonium perhibent de Christi Divinitate, ut Joan. Epist. 1. cap. v. 7. & unico nomine in administratione Baptismatis invocantur, ut habetur Mat. 28. 19. 7. Denique tres eadem potestate singula efficiunt; Pater, de quo 2. ad Corinth. 5. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum*: Filius de quo ad Ephes. 1. 10. *Instaurare omnia in Christo, quæ in Cælis, & quæ in Terra sunt, in ipso*: Sp. S. de quo 1. ad Cor. 12. 11. *Hæc autem omnia operatur unus; atque idem Spiritus*. Quum ergo Spiritus Sanctus habeat nomen, proprietates, attributa, quæ summo Deo tantum competunt, perfectissimamque cum Patre & Filio communionem operationum, atque substantiæ; consequens est illum Deum esse ipsi Patri, Filioque consubstantialem.

5.  
Probatâ fuit  
Divinitas S.  
Spiritus &  
refutata Ma-  
cedoniano-  
rum argu-  
mentâ.

Neque vero probaverunt tantummodo his momentis Sancti Spiritus divinitatem: sed etiam refutarunt quidquid poterant Macedoniani adversus dicta reponere. Hi principio dixerunt, in sacris literis Spiritus Sancti nomine virtutem & energiam designari, ut regerunt modo Sociniani, contra quos cap. præcedenti pugnavimus. At instant ex adverso Patres, fieri non posse, ut cum Persona Divina sit Filius, qui missus est à Patre, & Patrem glorificat, non sit Divina Persona etiam Spiritus Sanctus, qui à Filio mittitur, & glorificat Filium; & habet ad illum talem ordinem ac respectum, qualem habet ipse Filius ad Patrem. Addunt, quæ nos pluribus prosecuti sumus de operibus propriis personarum, & de emphasi, atque articulo, quo in Græcicis Scripturis exprimitur. Affirmant non esse alium nisi Spiritum Sanctum, quem Paulus in 1. ad Thessalon. 3. 12. vocat *Dominum*, qui multiplicat, & abundare facit charitatem nostram invicem, confirmatque corda nostra sine querela in sanctitate ante Deum Patrem, in adventu Domini nostri Jesu Christi. De eodem Spiritu Sancto interpretantur similia verba in altera ad Thessalon. cap. 3. 5. *Dom-*

*inus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi*. Quibus esse Dominum Personam aliquam à Deo Patre, & à Christo distinctam, monstrat vel ipsa orationis complexio.

Reponebant ulterius Pneumatomachi (quod & repetunt Novatores) inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum certis syllabis notari discrimen. Nam de Patre scriptum est in 1. ad Corinth. cap. viii. 6. *Ex quo omnia*, & de Jesu Christo, *per quem omnia*: quæ propositio *Per*, etiam Spiritui Sancto aptatur ad Tit. 3. 5. ideoque hi duo non videntur esse Deus ille summus. At inquit Patres perinde esse si dicamus aut *ex*, aut *per*. Etenim de vero Deo legitur Genes. 4. 1. *Possedi hominem per Deum*. 1. ad Corinth. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Christi*. Atque eodem pacto de Spiritu Sancto effertur aliquando *ex*, ut Joan. 111. 6. *Quod natum est ex Spiritu*; quæ verba conferenda sunt cum vers. 13. cap. 1. & aliquando *Per*, ut ad Rom. v. 6. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, &c.* Quamquam particula *Ex* potiori quodam titulo spectat ad Patrem, qui est fons Deitatis totius.

Petebant 3. Heterodoxi qui fieri possit, ut Spiritus Deus Altissimus sit, cum tam hebræum *אֵל*, quam græcum *πνεῦμα*, latinumque vocabulum *Spiritus* quandoque ventum, aliamve rem creatam significet, ut cap. iv. Amos. Atque respondent Patres Spiritum Sanctum, nunquam simpliciter Spiritum nominari sine additamento Dei, aut Patris, aut *à me*, hoc est ex Deo, vel absque articulo, vel Christi, vel Filii, aut quod non addatur Sanctus, aut Paracletus, aut veritatis, hoc est Filii, qui seipsum nominat veritatem. Dignosci præterea ex complexu sermonis, de quonam Spiritu agatur; quomodo apud Amosum; ubi memorantur flagella, quibus Deus in Israel prævaricantem animadvertit, Spiritus dictus est ventus urens: unde recte legit Vulgata cit. cap. iv. 9. *Percussi vos in vento veniente, & in aurigine*. Atque hæc sunt præcipua pro divinitate Spiritus Sancti argumenta apud Patres supra laudatos: quæ, si ad fontem venerit, hauriet quicquid meis hisce rivulis puriora.

Ad priorem classem locorum, in quibus Dei nomen Spiritui Sancto tribuitur, spectat vers. 3. cap. v. Act. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Et infra vers. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Unde

6.  
Instantia  
Pneumato-  
machorum.

Solutio  
Patrum.

7.  
Replicatio  
Heterodoxo-  
rum.

8.  
Solutio 2.



Unde argumentantur Theologi: Ille, cui mentitus est Ananias, Deus est: Ananias mentitus est Spiritui Sancto: Ergo Spiritus Sanctus Deus est. Quem locum postremo recitavimus, ut ab hæreticorum, qui valde eo premuntur, vindicaretur argutiis.

9. *Oppositio Crellii & Solutio ejus.*  
Itaque respondet Crellius, in Græco haberi, *ψευμαδοῦσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον: mentiri te, & fallere Spiritum Sanctum.* Sed elusio est puerilis. Nam i. demonstrat Grotius *ψεύδουσαι, mentiri*, quod respondet Hebræo *כִּזְבּ*, modo cum dativo construi, ut Job. 34. 6. Psalmo LXXV. 1. 36. LXXV. 1. 35. modo cum accusativo, ut 2. Regum 14. 16. Atque ita hic 3. commate cum accusativo construitur, sequenti cum dativo. Pari modo *εὐλογεῖν, benedicere*, modo dativum post se habet, modo accusativum. Sed & Græci sic loquuntur, ut Aristophanes, *ἐψεύσεν γέ με, Non me fallēs.* Hæc Grotius. Glasius vero de Propos. Can. v. demonstrat consimilibus exemplis ex Thucydide, Pindaro, & Hesiodo petitis propositionem *Ad*, vel *In* interdum retineri: & idem esse mentiri τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Spiritum Sanctum, ac, mentiri εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, in Spiritum Sanctum. Particulam *eis* in haberi in quibusdam Mss. testatur Theodorus Beza, & legi in versione Syriaca testatur Lorinus, ac liquet ex Polyglottis. Dabo Socinianis testem locupletem, & omni exceptione majorem, Socinianum ipsum, qui edidit Comment. in Acta Sanctorum Apostolorum, nempe Wolzogenium. Qui p. 30. inquit. *Quædam exemplaria græca habent mentiri te in Spiritum Sanctum.* Ut & Col. 3. 9. dicitur, *Ne mentiamini in alios alii*, id est, *erga alios.* *Quæ propositio etiam si hic esset suppressa, posset subintelligi. Sed sicut alia quædam verba construuntur aliquando cum dativo casu, aliquando autem cum accusativo, ut evangelizo tibi, & evangelizo te, benedico tibi, & benedico te, imo etiam benefacere aliquem pro alicui, Matth. 5. 44. & Marc. 14. 7. ita etiam græce dicitur non tantum, mentior tibi, sed & mentior te. Cujus constructionis exemplum citatur & ex Aristophane Comico Græco, & ex Græca versione Bibliorum, Prov. 14. 5. & 4. Regum cap. 4. 16.*

10. *Cautela.*  
Ex his inferitur quam falsa sit eorum commendatio, qui scribunt Ananiam mentitum Spiritum Sanctum, quod se hypocritam simulaverit fraudando de pretio agri: quam interpretationem doctus etiam Catholicis nonnullis probari. Quamquam enim ille simulate se

gessit, attamen mentiri Spiritum Sanctum est velle; quantum in se est, fallere Spiritum Sanctum; ut constet ex dictis, & Wolzogenius ipse fatetur. Præterquam quod hypocrita dicitur quidem mentiri se Sanctum, non vero Spiritum Sanctum.

Inquiunt Sociniani, Ananiam mentitum Spiritui Sancto, quia mentitus est Apostolis, in quibus Spiritus Sanctus degebat. Ita est. At quoniam mentitus est Apostolis, in quibus Spiritus Sanctus degebat, dicitur sequenti commate mentitum fuisse Deo. Ergo Spiritus Sanctus, qui degebat in Apostolis, Deus est. Si enim, ut consimili utar exemplo, arguero: Membra nostra sunt templum Spiritus Sancti, qui in nobis est. 1. Ad Corinth. 6. 19. Qui fornicatur violat corpus suum, Ibi. v. 18. Ergo qui fornicatur violat templum Spiritus Sancti: At Templum, in quo Spiritus Sanctus habitat, est Templum Dei cap. 3. 16. Igitur qui fornicatur, violat templum Dei. Puto neminem sanæ mentis negaturum hanc consequentiam. Tale est argumentum petiit ex cap. v. Act. In Apostolis degebat Spiritus Sanctus: Ananias mentitus est Apostolis: Igitur mentitus est Spiritui Sancto; At quisquis mentitur Spiritui Sancto, mentitur Deo; Ergo Ananias qui mentitus est Apostolis, mentitus est Deo. Et hanc consequentiam nullus negat. Sed ex priori argumentatione inferitur, idem omnino esse Templum Dei, & templum Spiritus Sancti, quod in corporis pollutione violatur: Igitur ex argumentatione sequenti inferitur, eundem esse Spiritum Sanctum, & Deum, cui Ananias in Apostolis mentitus est.

Respondet idem Wolzogenius Comment. in Act. Apost. pag. 31. Simile huic dictum est Exodi xvi. ubi postquam v. 2. scriptum est congregationem Israelitarum murmurasse contra Moysen, & contra Aaronem; deinde versu 8. dicitur: *Non contra nos murmurationes vestrae, sed contra Dominum.* Et Num. 20. postquam dictum v. 3. juratum esse populum cum Moyse, postea v. 13. dicitur ibi tunc jurgatos esse Filios Israel cum Domino. Vide etiam Mat. x. 40. xviii. 5. Marci 9. 37. Luc. 10. 16. 1. Cor. 8. 12. Non recte ergo hinc concluditur Spiritum Sanctum hoc loco expresse vocari Deum: non magis bene, quam si ex superius citatis aliquis concluderet Moysen esse ipsum Deum, & eos qui nomine Christi venientes vel recipiuntur, vel rejiciuntur esse ipsum Christum.

K 3

Ve

11. *Instantia Socinianorum, & solutio.*

12. *Instantia Wolzogenii.*



13.  
Solutio.

Verum neque hæc subsistunt. Negativum adverbium pro comparativa particula *potius* sæpe ponitur, quomodo si quis injuria afficiat legatum, dicitur non hunc parvi pendere, sed principem; & econtra qui ministro præstat obsequium, regi dicitur obtemperare, non famulo. Hoc sensu Exodi xvi. 8. murmuravit congregatio Filiorum Israel non contra Moysen, sed contra Dominum, quia ille Domini, vicem gerebat. Ob eandem causam contra Deum iurati sunt Num. 20. 13. Ita Mat. 10. 40. Qui autem Prophetam, aut pauperem suscipit, suscipit Dominum, quoniam ab ipso mittuntur, & de ejus familia sunt. Et qui peccat in fratres, ut legitur 1. ad Corinth. 8. 12. peccat in Christum, quoniam sunt illi membra corporis, cujus Salvator est caput. Similiter qui spernit doctrinam Apostolicam, illum contemnit, qui Apostolos elegit, docuit, & misit; ut habetur 1. Thessalon. 4. 8. Ibi ratio redditur manifesta. Ait enim Apostolus: *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum; qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis*, Gr. ἡ δὲ τοῦ ἁγίου, ὃν δίδωμεν τοῖς πιστοῦς αὐτοῦ τοῦ ἁγίου εἰς ὑμᾶς. Sed inquit hæreticus: At Moyses non est Deus: Ecce Spiritus Sanctus Deus est? Nonne similia sunt verba verbis, ac sententiæ sententiis? Imo dissimilia. Exodi xvi. 2. habes: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron*. Act. 21. 3. *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto*. Ergo murmur adversus Moysen, mendacium adversus Spiritum Domini prolatum est. Consentientem habeo Wolzogenium huc usque. Exodi xvi. 8. legitur: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, id est principaliter murmur vestrum fuit contra Dominum, deinde contra nos servos Domini. Act. v. 4. legitur: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*; nempe potius, quam nobis hominibus Dei ministris. Neque arbitror mecum Wolzogenium hæcenus dissentire. Jam vide hominis calliditatem. Quinam sunt, de quibus Exodi xvi. 8. lectum est: *Nec contra nos est murmur vestrum*? Sunt, ut vides, Moyses, & Aaron, de quibus vers. 2. legeras: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron*. Ergo Moyses & Aaron non sunt ipse Dominus, contra quem filii Israel principaliter murmuraverunt, quoniam ipsi sunt, de quibus, vers. 8. legisti: *Nec contra nos est murmur vestrum*. Redeamus, ad

cap. v. Act. Quinam sunt illi, de quibus v. 4. scriptum est: *Non es mentitus hominibus*? Non est quidem Spiritus Sanctus, de quo v. 3. legimus: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto*; nam Spiritus Sanctus non est homo, non est Apostolus Petrus. Ergo Spiritus Sanctus est ipse Dominus, ipse Deus, cui Ananias principaliter mentitus est, de quo v. 3. *Mentiri te Spiritui Sancto*. Non enim Spiritus Sanctus excluditur, *Non es mentitus hominibus*, quomodo excluditur Moyses & Aaron, dum dicitur, *Nec contra nos est murmur vestrum*. Quoniam Moyses & Aaron v. 8. excluduntur, sequitur, neque Moysen neque Aaronem esse Dominum. Quoniam Spiritus Sanctus versu 4. non excluditur, sequitur Spiritum Sanctum, esse Deum. Idem valet de aliis locis perperam à Wolzogenio citatis. Cujus calliditas me in hoc septimo libro exarando reddidit molestissimum.

Etiam traditione Patrum Spiritus Sancti confirmatur divinitas. Justinus Apol. 1. *Filium* (inquit) *Spiritum Sanctum colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes*. Athenagoras in Apolog. *Quis nos miretur cum audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari*? Lucianus, *Deum alte regnantem, magnum, immortalem, caelestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria*. Vide & Irenæum lib. 4. cap. 37. Clem. Alex. lib. 1. Pedagogi cap. 6. Tertull. contra Praxeam cap. 2. Cyprianum Epist. 73. Non multus hic ero, quum hanc traditionem confirmet Generalia Concilia, Nicænum, & expressius Constantinopolitanum primum in Symbolo, & in Epistola Synodica ad Episcopos Occidentis; neque id negent hæretici Sociniani, contra quos potissimum disputavimus: quorum aliqui Catholicam de individua Trinitate doctrinam appellant Commentum veterum Patrum ex Ethnica Platonis Schola in Religionem Christianam introductum, ut Wolzogenius cap. 6. in Joan. aliqui audacter proferunt, totius Orbis consensum non posse adversum id, quod Divinis oraculis aperte est consignatum, ut dogma de unica in Deitate Persona, ut Faustus Socinus contra Wiekum p. 617. aliqui nos ad solas Scripturas provocant, ut Semiariani ceteri. His autem nos aliquantulum satisfecisse confidimus, quomodo

14.

Divinitas  
Spiritus S.  
ex traditione  
Patrum.



modo, si Deus tantum otii & valetudinis concesserit, iis quamprimum facturi sumus, qui ausi sunt fidem antiquorum Patrum damnare. Viguit enim perpetuo in Christi Ecclesia Fides, de qua Victorinus in Hymno Tom. IV. Bibl. PP. pag. 294.

*Hinc singulis vera, hinc tribus una substantia est,  
Progressa à Patre Filio, & regressa à Spiritu:  
Quia tres existunt singuli, & tres in uno singuli.  
Hæc est beata Trinitas, hæc beata Unitas.*

## CAPUT XVI.

Ad reliqua in contrarium argumenta.

## SUMMARIUM.

à num. 1. usque ad 5. expediuntur vulgares contra Spiritus S. divinitatem oppositiones.

1.  
Vulgaris  
contra Divi-  
nitatem Sp.  
S.  
Objectio 1.  
cum solu-  
tione.

**E**XPEDIAM nunc vulgares contra Spiritus Sancti divinitatem oppositiones. Quarum sit prima. In sacris literis quandoque Pater, & Filius nominantur nulla facta Spiritus Sancti mentione, qui neque alicubi expressè Deus nuncupatur. Non ergo Sp. S. Deus est, neque eandem habet cum Patre, & Filio communionem naturæ.

Resp. nego consequ. I. Quia interdum simul nominantur Pater, & Spiritus Sanctus, ut II. 45. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*: nonnunquam vero tres personæ simul, ut Matth. XXVII. *Baptizantes vos, &c.* II. Quoniam revera Spiritus Sanctus appellatur Deus Act. v. 4. *Dominus* I. ac Thess. 3. 12. eique tribuuntur opera, & characteres divinitatis, ut supra probatum est. III. Quia argumentum istud negativum potest in Adversarios retorqueri, quippe nullibi Spiritus Sanctus appellatur creatura neque in his locis, ubi creaturæ omnes commemorantur, & ad benedicendum Deum invitantur Pl. 102. & 148. nec non in Cantico trium puerorum.

2.  
Objectio 2.

Opp. 2. Ad Rom. 8. 26. scriptum est: *Spiritus postulat pro nobis*. At postulare nota est indigentia, quæ nequit Deo convenire. Item Jo. 2. 3. habetur, omnia facta esse per Verbum; quare si Spiritus Sanctus est aliquid, factus est, ideoque res creata. Iterum Joan. vi. 13. habetur: *Non enim loquetur à semetipso*. Impotens est ergo ac dependens. Notandum hic quoque verbum futuri temporis *loquetur*: in Deo namque futurum nefas est cogitare. Rursus *confiteri* dicitur ad Ephes. 4. 30. & I. ad Corinth. 2. 10. *Scrutari* profunda Dei: quæ duo sunt passionis & ignorantia argumentum.

3.  
Solutio.

Resp. ad 1. Spiritum Sanctum hoc sensu postulare pro nobis, quia postulare facit, ut explicat S. P. August. Ep. 105. Cujus explicationis veritas con-

stat, quia Spiritus Sanctus eodem cap. VIII. 15. appellatur à Paulo Spiritus adoptionis, *in quo clamamus, Abba, Pater*. Atque Zacch. XII. 10. *Spiritus gratia, & precum*. Nam actiones tribui iis solent, qui agendi conferunt divinum, potestatem, ut ipsi docent Grammatici. Quod nobis insinuans Apostolus, præmiserat: *adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Adde in Græco inveniri *ὑπερβύχων* superexpostulat. Est autem *ὑπερβύχων* superexpostulat. Est autem *ὑπερβύχων* Advocatorum, qui dicant suspiria Clientibus. Chrysostomus denique Hom. 14. in Epist. ad Rom. per Spiritum postulantem donum intelligit Orationis. Ad 2. dico Jo. 1. 3. per *Omnia* comprehendendi universitatem creaturarum, à quibus ut distinguitur Pater, qui Verbo suo condidit calum & terram, ita sejungitur Spiritus oris ejus, à quo est qualiscunque virtus eorum. Ad 3. resp. cum Augustino Tract. 99. in Joannem, Spiritum Sanctum non loqui à semetipso, quoniam ab illo à quo procedit est ei essentia, scientia, & audientia; nec movere debet, quod verbum futuri temporis positum est, quia & ponitur ratione termini, & in ordine ad creaturas, quibus Sp. S. mittendus erat, & de re sempiterna enunciatur absque mendacio, fuit, est, erit. Ad 4. dico Spiritui Sancto tribui tristitiam metaphorice, & propter hominum ingratitude, qui ejus dona contemnunt; quemadmodum Genes. VI. 6. dicitur Deus *tactus dolore cordis intrinsecus*: & Pl. 77. 40. exacerbatus, & concitatus in iram. Ad 5. Resp. verbum scrutari non semper indaginem & ignorantiam notare, sed sæpenumero certam intimamque notitiam, ut Psalmo VII. 10. Jer. XI. 20. Apoc. 11. 23. dicitur Deum scrutari renes & corda: quo sensu



sensu accipiendum hoc verbum in 1. ad Cor. liquet, quod illic το πνεῦμα, Spiritus, scrutari dicitur etiam βάθη τοῦ Θεοῦ, profunda Dei; nimirum consilia occulta, & altitudinem sapientiae Dei, cujus viae, & recessus sunt creatis mentibus investigabiles.

4. **Objectio 3.** Opp. 3. In 1. ad Corinth. 14. 32. hæc habentur: *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.* Spiritus prophetarum est Spiritus Sanctus, quo inspirante loquebantur Prophetæ. Igitur Spiritus Sanctus hominibus subiectus est.

**Solutio** Resp. dist. majorem. Spiritus Prophetarum humanus, nempe mens Prophetarum, quæ Spiritu Dei afflante agebatur, concedo; Spiritus Prophetarum, scilicet Spiritus Dei, qui Prophetarum mentem illustrabat, nego subiectum esse Prophetis. Loquitur Apostolus de Spiritu Prophetarum humano: quod constat tum quia πνεῦματα absque articulo legitur, tum quia pluralis est numeri, cum Spiritus Dei unus sit. Spiritus autem Prophetarum subiecti sunt Prophetis, primo quia unius aut alterius doctrina iudicio Ecclesiae subiecta est. Deinde quia divinitus afflati suæ potestatis sunt, neque ad instar Pythonicorum tanquam dementes agitantur; ut de Sybilla Virgilius:

*At Phæbi nondum patiens inmanis in antro*

*Bacchatur Vates, magnum si pectore possit*

*Excussisse Deum.*

Opp. 4. Spiritus Sanctus mittitur à Filio; ergo est Filius minor. Resp. dist. cum solutione. Mittitur per imperium, ut servus à Domino, nego: per originem, concedo. Vide infra cap. xx.

Opp. ultimo. Spiritus Sanctus non est neque genitus, neque ingenitus: non genitus, quia genitum esse convenit Filio, non ingenitus, quia esse ingenitum proprium est Patris. At qui non est genitus, neque ingenitus, non est Deus. Ergo &c.

**Solutio.** Resp. dist. majorem Spiritus Sanctus non est Ingenitus, quatenus ἀγέννητος significat non factum nec creatum, nego. Non est Ingenitus, prout ἀγέννητος significat Personam, quæ à nulla alia procedit, conc. Vide cap. xii. ad v. Falla quoque est minor propositio, quia præter Personam Ingenitam quæ non habet ab alia originem, & personam genitam, quæ est ab una, datur Persona, quæ est à duabus simul, & peculiari quadam ratione appellatur PROCEDENS, ut diximus cap. xiv. ad penultimum Wolzogenii argumentum. Atque hæc de suprema illius divinitate, de quo Nazianzenus in Carm. latine reddito:

*Nec rursus deitate carens, ab eaque remotus,*

*Sed Patri, & Nato unigeno par prorsus honore.*

## C A P U T XVII.

Num Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat?

### S U M M A R I U M.

1. Status quæstionis.

2. 3. 4. & 5. probatur, Spiritum Sanctum à Patre, filioque procedere.

à num. 6. usque ad 11. idem præter quatumdam Græcarum responsonum refutationem per alias adhuc rationes stabilitur.

1. **Processio Spiritus S. à Patre Filioque.**

**M**AGNUM versatur Latinos inter, Græcosque de processione Spiritus Sancti à Filio dissidium, his, non quidem omnibus, sed levioribus tantum & Schismaticis, asserentibus à solo Patre procedere, illis propugnantis originem habere ab utroque. Atque erroris Græcorum auctor creditur Theodoretus, qui in Confutatione 1x. Anathematismi Cyrilli ait, quod dicere Spiritum Sanctum ita proprium Filii, ut ex Filio, aut per Filium extantiam intelligatur habere, id impium est, ac blasphemum: quamquam Theodoretus facile potest excusari, ut postea dicam.

Non semel sopitus jam error fuit à Græcis instauratus. Ventilata fuit hæc quæstio Pipino Francorum rege, & definita in Synodo habita in villa Gentilico prope Lutetiam anno DCCLXVII. Tum vehementius exagitata adversus Latinos ab invasore Sedis Constantinopoleos Photio Spadone circa annum 863. quem hominem totius Orientis exitio natum an. 869. Synodus octava damnavit. Decertarunt iterum Græci cum Latinis Urbano II. Pontifice an. 1097. eosque in Concilio Barenfi compescuit S. Anselmus Cantuariensis Episcopus; qui & magnum sibi nomen comparavit, & singu-



singularem pro Catholica fide navavit operam. Postea sub Innoc. III. ad Ecclesiam Romanam communionem in iv. Lateranensi Synodo redierunt Græci, & sedata contentio est. At relapsi quamprimum in antiquum errorem. Concordiam rursus inierunt Imperante Michale Paleologo, & sedente Gregorio X. an. 1274. & rursus in pristinum schisma, erroremque relapsi. Pugnarunt interim adversus domesticos viri suorum Scriptorum laudibus celebratissimi Joannes Beccus, & Nicephorus Blemmydes, de quibus plura Petavius lib. vii. cap. i. Tandem anno 1439. in Florentino Generali Concilio controversia finita est, & Græci Patres Catholico dogmati subscripserunt, uno excepto Marco Ephesio, cujus opera plures quidem subornati ad antiquum errorem sunt regressi, sed nulla publica fide fuit deinceps universa Græcorum Ecclesia labefactata. Dixi autem *publica fide*, quoniam licet magna ex parte Orientalis Ecclesia antiquum modo tueatur errorem; sunt tamen Græci complures, qui Orientalibus Patriarchis minime obtemperant, sed cum Romanis rectæ fidei confessione communicant. Hanc utriusque Ecclesie communionem meritis beati Nicolai Tolentinatis acceptam refert Eugenius IV. quod etiam exprimitur in Ecclesiastico hymno:

*Exorta ab annis schismata  
Pelluntur ima ad tartara:  
Græci à Latinis diffusi  
Junguntur uno federe.*

2. PROPOSITIO: Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedit.

Argumentum i. ex Scriptura.

Triplici argumentorum genere hæc propositio probatur, Scripturis, auctoritate Patrum, ratione. Atque ex Scripturis hæc depromuntur. I. Spiritus Sanctus appellatur Spiritus Filii, ad Galat. iv. 6. *Misit Spiritum filii sui in corda vestra.* Act. 16. *Non permisit Spiritus Jesu.* Joan. xiv. 17. *Spiritus veritatis*, id est ipsius Filii, qui est via, veritas & vita. At appellari nequit Spiritus Filii, nisi hoc titulo, quod à Filio procedat. Ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio. Prob. minor. Spiritus Sanctus aut nuncupatur *Spiritus Filii* quod sit Filii Sanctitas extrinsecus ingrediens & adventitia, aut quod sit eidem Filio Consubstantialis, (quomodo audio recentiores Græcos reponere,) aut Filii instrumentum, & virtus, aut denique quia à Filio habet esse. Non enim video quo alio titulo *Spiritus Filii* possit appellari. Sed Spiritus Sanctus non dici-

*R. P. Berti Theol. Tom. II.*

tur *Spiritus Filii*, quod sit illi adventitius, ut in iis evenit qui ejus munere sanctificantur; neque quod sit Filii instrumentum, & virtus accidentaliter: quæ duo Græci fatentur. Rursus non dicitur *Spiritus Filii* eo quod sit Filio Consubstantialis; quippe diceretur etiam ipse Filius Spiritus Sancti propter Consubstantialitatem: quod cogitatu absurdum est. Ergo remanet quod Spiritus Sanctus dicatur *Spiritus Filii* propter relationem originis, & quia ab illo procedit.

Præterea Christus Dominus Joan. xx. 22. insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum.* Cur autem insufflavit, nisi ut ostenderet à se Spiritum Sanctum procedere, quomodo corporeus halitus ab ore alicujus emittitur? Legite Augustinum Tract. 121. in Joan. & lib. 3. contra Maxim. cap. 14.

Tercio probatur; nam Spiritus Sanctus mittitur à Filio; Ergo à Filio procedit. Ant. constat ex cap. xvi. Joannis 7. *Si autem non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Prob. conseq. I. Quia hic est ordo naturæ Divinæ, ut qui à nullo est, à nullo mittatur, ut probatur in Epist. ad Scrap. S. Athan. & lib. 4. de Trinit. cap. 19. S. P. Augustinus. Si ergo Spiritus Sanctus à Filio mittitur, à Filio procedit. II. Quia probatur Filium à Patre procedere, quia de ipso scriptum est, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, & Exivi à Patre, & veni in mundum*, atque, *Evangelizare pauperibus misit me, &c.* III. Quia ille, qui ab alio mittitur, debet ab eo aliquam potestatem recipere, aut saltem mandatum ac præceptum. At Spiritus Sanctus, qui fatentibus adversariis Deus summus est, non accipit à Filio mandatum, quod nota sit subjectionis. Recipit ergo potestatem, quæ à Divina substantia nequit esse distincta. Neque aliud respondere possunt Græci, nisi Spiritum Sanctum, qui à Filio mittitur, esse sanctificationis gratiam, non Divinam Personam. Quæ responsio & supra impugnata est, & hoc eodem argumento rejicitur, quandoquidem misit Filius Spiritum Sanctum, qui à Patre procedit. At Spiritum, qui à Patre procedit, personam esse Græci non dubitant.

Rursus Joan. xvi. 14. habetur: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Plura hic occurrunt notanda. Ac primo: Spiritus Sanctus accipit esse à Filio. Quid enim accipere potest Di-



vina Persona, cui essentia est quidquid habet? Sed recipere esse idem est ac procedere. Procedit ergo Spiritus Sanctus à Filio. Deinde: propterea dixit Christus Dominus, *De meo accipiet, & annuntiabit vobis, quia omnia quæ habet Pater sunt ipsius Filii.* Quare si Pater habet de sua essentia, ut Spiritus Sancti principium sit; similiter hoc habet Filius. Rursus Divina Persona si habeat ab altera quidquid annuntiat, habet ab eadem extantiam: unde enim est in Divinis audientia, inde est & essentia: Spiritus Sanctus accipit à Filio, ut futura annuntiet; Ergo à Filio recipit etiam ut sit. Demum λαμβάνειν hic non potest alium habere sensum quàm audire quæ loqui debeat, & quasi μανθάνειν discere, ut Prov. 1. 3. & Deut. xxxii. 2. Habet ergo Spiritus Sanctus à Filio Sapientiam. In Deo autem Sapientia & essentia idem sunt. Igitur, &c.

6. Græcorum instantia eluditur.

Nil efficit Græcorum responsio, qui asserunt Spiritum Sanctum accipere essentiam, divinitatem, ac Sapientiam à solo Patre, non à Filio; & ea verba ἐκ τῆς ἐμῆς λαμβάνειν, *De meo accipiet*, reddenda esse, *De Patre meo*. Nam disertè ipse Dominus sententiam suam explicat dicens: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, &c.* Si ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, & quidquid habet Pater habet & Filius, sola excepta Paternitate, quæ propter relativam oppositionem ipsi Filio nequit communicari; necesse est, ut Spiritus Sanctus procedat etiam à Filio: alias frustra Christus ea verba protulisset. Sed vide Literas Unionis Eugenii IV. Atque hæc Latinorum Responsio variis perantiquis sacrorum Bibliorum versionibus roboratur, ut Persica, quæ legit: *A me accipiet*: Arabica, quæ habet: *Nam accipiet de eo, quod meum est*: Aethiopica: *Totum quod habet, meum est*: Syriaca: *Quippe qui de me accipiet.* Ut Tom. v. Polygl. Waltonianæ p. 488. & seq.

7.

Secundo probatur istud Ecclesiæ Latinæ dogma clarissimorum Græcorum auctoritate. Inter hos Epiphanius in Ancorato disertè scribit: Χριστός ἐκ τοῦ πατρὸς πιστεύεται θεός ἐκ θεῶν, & τὸ πνεῦμα ἐκ τῶν χειρῶν, ἢ παρ' ἀμφοτέρων, *Christus ex Patre creditur, Deus de Deo, & Spiritus ex Christo, aut ex ambobus.* Et Hæresi 74. τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων, πνεῦμα ἐκ πνεύματος. Sanctus autem Spiritus ex ambobus, Spiritus ex Spiritu. S. Cyrillus in Joëlem cap. 2. Καὶ ἐκ θεῶν κατὰ οὐσίαν ὁ υἱὸς (γενένηται γὰρ ἐκ θεῶν, & πατὴρ) ἰδίον αὐτοῦ τὸ, & ἐν αὐτῷ, & ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα ἐστίν. *Et ex Deo qui-*

*dem secundum naturam Filius (genitus est enim ex Deo, & ex Patre) Proprius autem ipse, & in ipso, & ex ipso Spiritus est.* Et lib. 14. Thesauri: Ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς & τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, & statim, ἀπὸ τοῦ δὲ ἐκ πατρὸς & υἱοῦ. *Quoniam ex essentia Patris, Filiique Spiritus. Qui procedit ex Patre & Filio.* S. Basilii in 3. contra Eunomium ait: παρὰ αὐτοῦ ἐννοεῖται, & παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, & ἀναγγέλλον ἡμῖν, & ὁμοῦς ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημυμένον, *Ab ipso habens esse, & ab ipso accipiens, & annuntians nobis, & omnino ex illa causa pendens.* Plura vide apud Leonem Allatum in defensione Synodi Ephesinæ, Joannem Beccum, Manuelem Galecam, Petavium, &c.

Græcorum responsio est: Epiphanium intelligendum esse de donis, non de Persona Spiritus Sancti: Cyrillum affirmare Spiritum Sanctum proprium Filii ratione Consubstantialitatis: Textum ex Basilii productum ex mendoso, & falsato Codice esse depromptum. Id Marcus Ephesius in Florentino Concilio conatus est demonstrare tum ex aliorum Codicum lectione, tum ex scopo Basilii, qui scribens adversus Eunomium, nunquam Spiritum Sanctum appellat in Trinitate ordine tertium, & natura secundum à Filio, nisi ex sententia Eunomii. Adit Andronicus Camaterus, neque Basilium, neque Athanasium in suis contra Sabellium & Arium libris alium fontem & originem divinarum personarum agnoscere, praterquam Deum Patrem.

Hæc omnia commentitia sunt, neque causam juvant Græcorum. Quippe Epiphanius Patris, Filiique nomine personas designat, & his duobus Spiritum Sanctum, nempe tertium adnectit. Oportet ergo, uti Pater & Filius personæ sunt, ita & Spiritum Sanctum personam intelligamus. Deinde explicat ibidem Spiritus Sancti originem ac relationem, quæ proculdubio notæ sunt personarum. Ac Præterea non rectè dicitur, Spiritus Sancti dona esse ab ambobus, cum sint etiam ab ipso Spiritu, & quidem peculiari quadam attributione. Cyrilli autem verba non patiuntur Græcorum commentationem, tum quia asserit manifeste à Filio Sanctum esse Spiritum; tum etiam quia nullibi Filium aut Patrem affirmavit proprium esse Spiritus Sancti: postremo quia Consobstantialitas præstat, ut divinarum Personarum sit una substantia, non ut una Persona sit propria alterius, sive ex altera, quomodo scribit Cyrillus. Basilii testimonium genuinum esse adversus Marcum Ephesium ostendit in Florentina Synodo Joannes inelyti

8. Græcorum instantia.

9. Solutio.



incluti Predicatorum Ordinis Theologus ex vetustissimo Ms. exarato longe ante exortam de Spiritu Sancto procedente à Filio quæstionem, & Romam à Cardinale Nicolao Cufano Constantinopoli asportatum: ex quo Græcos, non Latinos Basiliensis scripta corripisseprehenditur. Et quidem D. Basilium facere Spiritum Sanctum ordine à Filio secundum, liquet ex Epistola ejus trecentesima ad Canonicas, de qua consule clarissimum Petavium tom. 2. lib. VII. cap. III. num. XVI. Contra Camaterum denique clamant clarissima Græcorum PP. testimonia; quibus etiam hæ responsiones, & Dogma ipsum firmatur. Nam Athanas. Orat. de Incarnat. appellat Filium *Fontem S. Spiritus*, τὸν ἡδὺν τὴν πηγὴν τῆς ἁγίας πνεύματος. Idem Basilius tradit in 2. contra Eunomium, vocans Filium πηγὴν ζωῆς, *Fontem vitæ*. Atque beatissimus Joan. Chrysostomus. hom. in Mysterium Baptismi. ait: Σωτὴρ δεικνύων αὐτὸν πηγὴν ζωῆς ἢ ὕδατος ζωῆς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Salvator ostendit se ipsum fontem vitæ, aquam vero vivam Spiritum Sanctum.* Pater tamen potiori jure dicitur πηγὴ, *Fons*, quoniam fons aquam ex se ipso scaturire facit, non aliunde.

Tertio probatur ex Patribus Latinis, quos Oecumenicæ Synodi à Græcis receptæ consecrarunt, & qui ea floruerunt ætate, qua Occidentales à Græcis tanquam veri Catholici habebantur: unde non est, cur Refractarii horum Sanctorum auctoritatem debeant excutere. Ambrosius ergo in lib. 1. de Sp. Sancto cap. x. *Spiritus quoque Sanctus*, inquit, *cum procedit à Patre, & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio.* S. P. Augustinus Tract. 99. in Joannem: *Cur ergo non credamus, ait, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?* Et Leo Magnus, cujus doctrinam generalis quarta Synodus appellavit *ἐκδοξίαν*, *Columnam fidei Orthodoxæ*, Ep. 93. scribit: *Alium esse qui genuit, alium qui ab utroque procedit.* Cum Græci hanc esse fidem Latinorum Patrum ultro profiteantur, nec non statutum hoc dogma à Synodo Lateranensi IV. Lugdunensi II. & Florentina pro hæc præfer-

tim causa convocata, necesse non est, ut hæc longiori oratione complectamur.

Postremo Theologicis rationibus roboratur Assertum. Harum prima sit. Quæcunque habet Pater, sola excepta ratione Ingeniti, habet & Filius. Hoc siquidem ait ipsemet Christus in Evangelio, & contestantur PP. Græci, Damascenus VII. Cap. Operis Theologici, Nazianzenus Orat. in Pentecost. & communiter alii. In tantum vero ratio Ingeniti, sive Paternitas non communicatur Filio; quia cum eo opponitur relative, ut dicam lib. IX. Si ergo quid habet Pater, πᾶν τῆς ἀγενεσίας, habet & Filius, profecto etiam ipse hoc habet, ut Spiritus Sancti principium sit. Accedit altera. Salvatur in Filio proprietas Unigeniti, quoniam immediate & proxime est ab uno, nimirum à Patre, ut docet Greg. Nyssenus in lib. ad Ablavium, & in Epist. tertia, & quadragesima S. Basilii. Igitur si Spiritus Sanctus procederet immediate & proxime à solo Patre, haberet & ipse rationem geniti, neque ullum esset inter Divinam generationem, processionemque discrimen. Tertia est ratio, (quamquam de hac non omnes Latini consentiunt,) quod sublata processione, seu oppositione originis, Spiritus Sanctus non distingueretur à Filio; cum in Divinis omnia sint unum, ubi non intervenit mutua relatio: at de hac iterum est disputandum. Denique: prima & immediata operatio Patris est Generatio, per quam constituitur Pater, & hujus operationis terminus est Filius. *Spirare* autem non est operatio prima, sed ratione nostra ipsam generationem consequitur; est tamen essentialis, quemadmodum est generatio, & connotat terminum substantialem, nempe Spiritum Sanctum. Sed necesse est Filium consortem esse cujusque operationis essentialis, quæ non est prima seu generatio; Ergo necesse est, ut Filius sit consors cum Patre hujus operationis, quæ est productio Spiritus Sancti. Minor probatur quandoquidem habet Filius cum essentia, quidquid essentialis est, ut ex dictis, & per se satis est manifestum.

II. Argumentum 3. ex ratione Theologica.

10. Argumentum 2. ex PP. Latinis.

## CAPUT XVIII.

Continet Græcorum contra Latinos Argumentationes.

### SUMMARIUM.

à num. I usque ad 15. occurrunt Græcorum oppositionibus.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

L 2

GRÆCI



1.  
Græcorum  
contra La-  
tinos argu-  
mentatio 1.  
& solutio,

GRÆCI autem opponunt. I. Dogma Latinorum in Scripturis minime continetur, imo expresse habetur Joann. xvi. Spiritum Sanctum à Patre procedere, nulla facta Filii mentione. Ergo rejiciendum omnino est.

Resp. dist. ant. in Scripturis non continetur *explicite*, concedo: *implicite*, nego. Etenim eodem cap. xvi. Spiritus Sanctus appellatur Spiritus veritatis, dicitur mitti à Filio, ipsum glorificare, de illo accipere, habere ab eo, ut annunciet quæ ventura sunt, omnia demum, quæ habet Pater, habere & Filium: quæ omnia, ut supra diximus, *Processionis* invictum sunt argumentum. Ideo autem Filius inquit Spiritum Sanctum procedere à Patre, ut ostendat Patrem esse aliarum Personarum fontem atque originem, quemadmodum de se ait, non loqui à semetipso, opera, quæ patravit, fuisse Patris, doctrinam suam, non suam, sed ejusdem Patris habendam esse, & cætera hujusmodi; quæ Filio nequaquam denegant quidquid Patri adscribunt; sed eamdemque demonstrant essentiam, potestatem, operationemque utriusque. Accedit non esse solam Scripturam ad dirimendas fidei controversias sufficientem, sed standum quoque Sanctorum Patrum traditioni, quam in hoc dogmate universalem & omnino exploratam haberi testatus est in Florentina Synodo Josephus Patriarcha Constantinopolitanus.

2.  
Argumenta-  
tio 2.

Opp. 2. Adversatur dogma de Processione Spiritus Sancti à Filio clarissimorum Græcorum Patrum traditioni. Nam Dionysius lib. de Divinis Nominibus cap. 2. ait *Solum Patrem esse Divinitatis fontem consubstantiali*. Athanasius quoque in Quæst. de Nat. Dei scribit, *Solum Patrem causam esse duorum*. Nazianzenus Orat. 24. ad Episcopos, inquit: *Quidquid habet Pater, idem Filii esse, excepta causa*. Rursus in Pafione Sancti Andreæ conscripta à Presbyteris Achajæ, legitur Spiritum Sanctum à Patre procedere, ac permanere in Filio. Quid plures memoro? S. Maximus in Epistola ad Marinum ait, *Patres non concedere Filium esse causam id est, principium Spiritus Sancti*. Ex quibus arguitur: Si Spiritus Sanctus à Filio procederet, Filius foret Spiritus Sancti fons, causa, ac principium: At negant Patres Filium fontem esse, causam, ac principium Spiritus Sancti; Igitur Spiritus Sanctus nequaquam à Filio procedit.

3.  
Instantia.

Accedit quod si Patrum aliqui accurate de Spiritu Sancto tractarunt, hunc non à Filio, sed per Filium esse dixerunt.

Quod caute pronuntiat in 1. adversus Eunomium Gregorius Nyssenus, Athanasius in Redargutione Eusebii & Meletii, Cyrillus contra Palladium, & Patriarcha Tharastus in Epist. ad Orientis Episcopos. Hi omnes docent, Sanctum Spiritum ex Patre per Filium profluere. Est autem discrepantia inter particulam *dià*, *per*, & *ex*, quod hæc efficientem causam significat, non illa. Cum ergo docent Spiritum Sanctum extantiam habere *per* Filium, non *ex* Filio, negant aperte hunc illius esse principium.

Resp. nego antec. ad prob. dico primum, Patrem appellari causam, fontem, ac principium speciali quadam ratione, quod prima sit in Trinitate persona, nec originem habeat ex alia; id vero non efficit, quin etiam Filius Spiritum Sanctum producat, & quemadmodum est Deus de Deo, & lumen de lumine, sit pariter causa de causa, fons de fonte, principium de principio: aut, quomodo propter paternæ substantiæ communionem est idem Deus cum Patre, ita propter unitatem operationum, ac virtutis *spirandi*, sit cum illo idem fons, idemque principium. Non enim defunt Patres, qui Filium fontem, & causam Spiritus Sancti fatentur, ut Basilus, Athanasius, & Joannes Chrysostomus, de quibus supra. Adde Epiphanium Hæresi 96. & Cyrillum Alexandr. in Expositione Symboli Nicæni, qui discrete scribunt Spiritum Sanctum à Filio *profluere*; quem Filium etiam vocant *Fontem ex fonte*.

Falsum est etiam complures Patres negare Spiritum Sanctum habere extantiam *ex* Filio, quamquam nonnulli uti maluerunt particula *dià*, *per*, ut significarent Filium non esse principium absque principio, & fontem, cui non sit ab altero scaturigo. Cæterum ex Filio Spiritum Sanctum dixerunt Greg. Nyssenus hom. 3. super Pater noster, scribens: *Ex Filio procedit, quia proprius ejus est, quemadmodum & Patris*. Cyrillus in Epist. ad Nestorium, dicens: *Spiritus veritatis nominatur, & Cbristus est veritas, & ex eo profuit*. Et Epiphanius in Ancorato: *Ex quo procedit, & à quo accipit*. Maximus quoque in Epist. ad Marinum Cypri presbyterum docet *Etiam ex Filio Spiritum Sanctum procedere, & inter se consentire Patrum auctoritates*. Sed de his vide dissertationem Gennadii Scholaris sect. v.

Quod vero particula *Per* producentem causam significet, constat. Etenim

4.  
Solutio 1;

5.  
Solutio 2,

6.  
Solutio 3  
Gen.



Gen. 4. legitur: *Possedi hominem per Deum*: Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Et ad Colossens. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Audi præcitatum Gennadium sect. 2. *Nonne per verbum PER causam possumus intelligere, ubi dicit Sanctus Joannes Evangelista, Omnia per ipsum facta sunt? quis negaverit unquam hic dictionem PER esse causam, & per eam Filium creaturæ causam intelligi?* Quod vero idem denotet dictio *Per*, & *Ex*, Basilii & Chrysostomi in Expositione Gen. sentiunt, ubi dicit Adam: *Possedi hominem per Deum*, ac si diceret, *Ex Deo*: unde alter in tractatu ad Amphilochem ita explanat, & dicit: *Jam vero secundum promiscuam significationem dictio PER transit sæpenumero in dictionem Ex, quia altera alterius significationem sibi vendicat, ut, Possedi hominem PER Deum, æque ac si diceret, EX DEO*. Alter vero 53. in Matth. homilia dicit: *Nam Scriptura solet, PER QUEM dicere, Ex quo: velut cum dicit: Possedi hominem per Deum, &c. Sanctus quoque Cyrillus indifferenter has voces usurpat, nam in Epist. ad Theodosium scribit, Christum natum esse PER Sanctam Deiparam Virginem, & in Epist. ad Nestorium, Natum, inquit, Ex muliere, & rursus, PER mulierem, promiscue his propositionibus usus. Addit Gennadius citato loco, designari unum principium creaturarum omnium, per has propositiones *Ex*, *Per*, *In*, ad Galat. IV. 6. & per dictionem *Ex* significari Patrem, ut primum ac principalem: per dictionem *Per*, Filium, ut opificem; & per *In*, Spiritum Sanctum tanquam causam rerum perfectivam: aliquando vero *Per* non dici de Patre, & *Ex* de Filio, ne Patri principalem causam tollamus. Hæc ille.*

7. Argumenta-  
tio 3. Opp. 3. S. Joannes Damascenus lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. XI. ait: *Spiritum Sanctum & ex Patre esse statui-  
mus, & Patris Spiritum appellamus: At  
vero eum non esse ex Filio dicimus: sed  
Filii Spiritum nominamus.*

8. Solutio 1. Quidam respondent Damascenum Græcorum imbutum errore, atque in hac controversia ejus dimittendam esse auctoritatem. Nec tamen id in ipsius injuriam cedere, cum hæc quæstio octavo sæculo, quo floruit Damascenus, nondum ab Ecclesia fuerit definita. Hanc de præclarissimo viro suspicionem ortam puto ex Historia Synodi Aquisgranensis, quæ anno 809. celebrata est contra Joannem Monachum negantem Spiritum Sanctum à Filio procedere: quem Pithoeus, alique perpauci Damascenum

fuisse suspicantur. Sed cum Joannes, ejus causa Aquisgranum Synodus coactus est, fuerit Hierosolymitanus; non debet absque gravissima, certissimaque ratione Damascenus notari. Itaque respondeo vixisse Damasceni ætate adhuc hæresim Macedonii, & Eunomii, qui docuerant Spiritum Sanctum esse ex Filio, tanquam ex primaria, & unica causa *Creatrice*, ut facilius suaderent esse creaturam, non Patri, Filioque Consubstantiali. Caute ergo adversus perniciosissimam hæresim pronunciat, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, quomodo nominatur Spiritus Patris: sed non dici ex Filio, ne imperiti creaturam esse, & à solo Filio, tanquam à causa principe productum opinarentur. Consulto autem ait S. Pater, Spiritum Sanctum non dici ex Filio, non vero, Spiritum Sanctum non *Esse ex Filio*. Aliud quippe est aliquid *Non dici*, aliud *Non esse*: quod appposito explicatur exemplo. Certe beata Virgo Maria Christipara est, ut appellatur etiam ab Ephesina Synodo: sed quoniam impius Nestorius hoc utebatur vocabulo, ut duas in Christo insinueret personas, & verbum illud everteret, quo exprimitur beatissimam Virginem Deum peperisse; idem Damascenus cap. septimo scribit: *Christiparam Virginem Sanctam non dicimus*. Ita propter hæreticos, qui ex solo Filio Spiritum esse dicebant, ait Damascenus, *Spiritum ex Filio non dici*.

9. Resp. 2. cum Bessarione Orat. pro Solutio. 2. Un. Damascenum accepisse propositionem *Ex*, quatenus significat principium absque principio: quo sensu quidem Spiritus Sanctus *Ex* solo Patre dicendus est. Hanc responsionem amplectuntur fere omnes Theologi, & ex verbis, quæ cap. XI. laudato subnectuntur, possumus eam confirmare. Inquit enim Damascenus: *Quemadmodum videlicet ex sole est radius, & splendor: (ipse enim & radii & splendoris fons est,) per radium autem splendor nobis communicatur; atque ipse est, qui nos collustrat, & à nobis percipitur.* In quibus comparat Damascenus Patrem soli, Filium radio, Spiritum Sanctum splendori. At splendor est à sole, & radio: ergo Spiritus Sanctus est à Patre, & à Filio. Vide cap. præced. prope finem.

10. Opp. 4. Theodoretus Spiritum Sanctum à Filio procedere, non solum aperte negat, sed etiam oppositam opinionem Cyrilli impiam ac blasphemam appellat. *Blasphematur*, inquit in Epist. ad Monasteria, *Blasphematur & in Spiritum San-*

Argumenta-  
tio 4.



*Sanctum, dum non ex Patre solo ipsum asserit procedere, sed ex Filio habere existentiam.* Habet similia in Confutatione ix. Anathematismi, ut hujus Capituli principio dictum est. Reponi solet, Theodoretum plus æquo partibus Nestorii contra Cyrillum fuisse patrocinatum: sed instant Adversarii in Ephesina Synodo lectum fuisse ac diligenter examinatum Symbolum Nestorianum oblatum à Carisso Presbytero, & Oeconomo Philadelphienfi, qui accusarunt de communione cum Nestorio Antonium & Jacobum Presbyteros, quod hæreticis conversis Symbolum istud tradiderint. Lectæ quoque fuerunt Confutationes Anathematismorum S. Cyrilli per Theodoretum conscriptæ. Utrobique vero Spiritum Sanctum à Filio non procedere continebatur. At neque Synodus Ephesina, neque ipse Cyrillus hac in parte Theodoretum scripta, aut Nestorianum Symbolum damnaverunt. Non ergo rejici debet dogma de Spiritu Sancti à solo Patre processione, traditum ac propugnatum à Theodoro.

II.  
Responsio.

Responsio communis est, Theodoretum ab aliorum sententia in hoc puncto recessisse, ejusque auctoritatem nihil valere, præsertim cum ipsius scripta adversus Cyrillum quinta Synodus cap. xiii. & sexta cap. ix. proscripserint. Quod autem de recitato Symbolo Nestoriano, lectisque Confutationibus Anathematismorum Cyrilli additum est, solvitur à Theologis multipliciter. Et primo affirmant Theodoretum impiam blasphemamque dixisse eorum sententiam, qui arbitrantur Spiritum Sanctum *ex Filio*, aut *per Filium* existentiam habere: quum tamen Spiritum Sanctum per Filium procedere, & tradant communiter Patres, & canant solemniter Græcorum Ecclesiæ in Canone Theophanis in Pentecosten ode sexta, & ipsi Schismatici palam profiteantur. Deinde negant Ephesinam Synodum silentio hanc quæstionem prætermisisse. Approbavit enim Epistolam S. Cyrilli ad Nestorium, & alteram ad Orientales, quibus dogma de Processione Spiritus Sancti continetur; & consequenter etiam dogma istud Synodus universalis recepit. Præterea Nestorius assererat Spiritum Sanctum à Filio extantiam non habere, ut eundem Spiritum Sanctum, quem verum Deum profitebatur, à Christo faceret alienum. Cum ergo Synodus damnavit Nestorium, definivit simul Spiritum Sanctum non esse alienum à Filio, ab eoque procedere. Quod si hanc quæstionem ad causam Nestorianam

dixeris non pertinere, addent Theologi & istud; nempe Synodum Ephesinam, & Cyrillum ideo de processione Spiritus Sancti à solo Patre Theodoretum non reprobasse sententiam, quod de ea tunc principaliter non ageretur.

Hæc cum à doctissimis viris passim audiantur, non debent à nobis censoria virga notari. Probabilius tamen asserimus, nunquam Theodoretum negasse Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere. Primo quia neque à Cyrillo, neque ab ullo antiquo Scriptore legimus illum in hac parte reprehendi, quomodo factum novimus, cum videbatur adhærere Nestorianis: quibus ut dixit anathema, faustis acclamationibus à Calcedonenfis Concilii Patribus Catholicis & Orthodoxis Ecclesiæ Pastor fuit appellatus. Secundo quia ipse Theodoretus in Epist. ad Joannem Antiochenum protestatur se cum Cyrillo circa Spiritus Sancti personam concordem semper habuisse sententiam, & rectitudinem fidei, quæ tenet extantiam non habere *ex Filio & per Filium*, etiam in literis Cyrilli inspersisse: omnem vero inter se discrepantiam ortam ex falsa intelligentia verborum. Si ergo Cyrillus Spiritum Sanctum à Filio procedere apertissime docet, consentit cum eo Theodoretus, & is nomine extantiæ à Filio, non processionem, sed creationem accepit. Tercio quia cum Patres omnes disertissime tradiderint Spiritum Sanctum per Filium procedere; non est credibile Theodoretum id refutasse tanquam impium ac blasphemum. Quarto quia in Confutatione Anathematismorum Cyrilli totus est, ut execretur hæresim Apollinaris & Eunomii, & vicissim Cyrillus in suis responsionibus curat à se hujus hæresis depellere suspicionem: adeoque Theodoretus dixit hæreticum ac blasphemum asserere Spiritum Sanctum habere extantiam *per Filium*, quia prolatum id opiniabatur à Cyrillo in sensu Eunomii, qui impie affirmaverat Spiritum Sanctum in genere rerum comprehendendi, quæ à Filio creatæ sunt. Postremo quia in Exposit. Epist. ad Romanos cap. viii. num. ii. sic Theodoretus loquitur: *Sanctum Spiritum & Dei appellavit, & Christi; non quod, ut volunt hæretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit, sed quia est ejusdem cum Patre, & Filio substantiæ: & ex Patre quidem procedit juxta Evangelicam doctrinam; ejus autem gratia ut qui digni sunt per Christum suppeditatur.*

Itaque ad argumentum resp. dist. ant. Negat

12.  
Roboratio  
responsio-  
nis.

13.  
Solutio.



Negat Theodoretus Spiritum Sanctum habere extantiam ex Filio & per Filium, in sensu Eunomii, qui ea loquendi ratione Spiritum Sanctum creaturam esse affirmabat, negans esse Patri & Filio consubstantiallem; concedo: in sensu Catholico, quo exprimitur origo Spiritus Sancti à Filio, salva unitate substantiæ, nego: *Spiritum Sanctum*, inquit Theod. in Epist. ad Joan. Antioch. *non ex Filio, aut per Filium existentiam habentem dicimus; sed ex Patre procedentem: proprium vero Filii, uti* CONSUBSTANTIALEM. Hinc Synodus Ephesina, & Cyrillus, qui optime Theodoretum verba, ac sensa perceperant, id non reprobarunt: & Cyrillus Anathematismos suos à nota hæreseos Eunomianæ sedulo vindicavit.

13.  
Argumentum  
italo 5.

Opp. 6. Si Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procederet, duo essent Spiritus Sancti principia: id autem absurdum est, quippe res una petit ab uno principio produci. Item Pater de se est principium sufficiens Spiritus Sancti: cur ergo aliud Spiritus Sancti principium statuitur? Rursus aut *Spirare* proprietas est personalis, aut essentialis: si essentialis, etiam ipsi Spiritui debet convenire: si personalis, necesse est, ut uni tantum personæ dicatur competere; nam proprietates personales nequeunt adinvicem communicari, alias Filio etiam ratio Ingeniti, ac paternitas convenirent, quod repugnat.

14.  
Solutio.

Resp. ad 1. Patrem & Filium non duo esse Spiritus Sancti principia, sed unum: quomodo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum sunt principium rerum creaturarum. Quippe principia non multiplicantur ratione personæ, aut suppositi; sed operationis & formæ: quapropter cum Pater, & Filius habeant eandem virtutem *Spirandi*, unum principium Spiritus Sancti dicuntur; quemadmodum tres simul personæ, quibus est eadem omnipotentia, & virtus creatrix, sunt unum principium creaturarum. Ad 2. nego *Suppositum*; siquidem virtus *Spirandi*, quæ

est in Patre, est eadem omnino cum virtute spirandi, quæ est in Filio: unde dum Spiritus Sanctus est ab ambobus, est ab una duntaxat virtute *Spirandi*, & ab uno principio. Præterea, quomodo non valet hæc argumentatio; Pater est sufficiens principium creationis, ergo neque Filius, neque Spiritus Sanctus principium creationis sunt; sed ratiocinandum est, Pater est Creator, ergo Creator est Filius, Creator Spiritus Sanctus, quia Filius & Spiritus Sanctus eandem habent omnipotentiam cum Patre: Ita non tenet ista; Pater sufficiens est Spiritus Sancti principium: Ergo Filius non est principium Spiritus Sancti, sed id potius consequitur, Spiritus Sanctus procedit à Patre, ergo procedit etiam à Filio, cui omnia, quæ habet Pater, communia sunt, sola excepta paternitate. Ad ultimum sunt qui respondent, *Spirationem* esse proprietatem personalem; & falsum esse, quod personalis proprietas nequeat duabus convenire personis. Sed quoniam proprietates Personales proprie sunt, quæ singulæ singulis personis conveniunt, nimirum *Paternitas, Filiatio, & Processio*; dico quod *Spirare* non est proprietas personalis, neque essentialis, sed *Notionalis*. Sunt autem *notiones*, quibus divinarum personarum distinctio nobis innotescit, non solum proprietates illæ tres, quas nunc memoravi, sed etiam *Innascibilitas, & Spiratio*: easque etiam Græci tenentur admittere. Nam & Patrem ingenitum profitentur, & Paternitatem dicere ad solum Filium originis relationem, ignorare non possunt. Ergo præter Paternitatem, quæ est proprietas personalis primæ Personæ, fateri debent aliam, quam nos cum Augustino in v. de Trinit. cap. 6. ampliori quadam significatione dicimus *Notionalem*. Atque hanc Pater Filio communicare debet, cum Filiationi relative non opponatur, neque sit illa proprietas, quæ constituit primam Personam in esse Patris.

## CAPUT XIX.

Haud recte Latinos de corrupto Symbolo à Græcis redargui.

### SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. 3. & 4. Ostenditur, immerito à Græcis Schismatis sui violatum Symbolum tanquam causam assignari.

à num 5. usque ad 9 refelluntur objectiones. 10. & 11. expeditur questum quo tempore additio particule *filiique* primum facta fuerit.

CON-



1.  
Latini non  
corruptum  
symbolum.

CONSTANTINOPOLITANI Concilii Patres, quibus Macedonii, & Euthymii hæresim cura ac studium fuit penitus extirpare, Spiritum Sanctum non esse creaturam definierunt; sed nondum exorta de Processione Spiritus Sancti à Filio questione, cum hæretici assererent illum ex solo Filio extantiam habere addiderunt Symbolo hæc verba, *Qui à Patre procedit*; quibus execranda hæresis directe confoditur. Suborto postmodum Græcorum schismate addita est & particula *Filioque*: quam contra Ephesinæ Synodi statuta insertam Græci queruntur. Hanc eorum expositionem repellendam suscipimus, quare sit.

2.  
Propositio  
& Probatio 1.

PROPOSITIO: Immerito Græci schismatis sui violatum Symbolum causam prætexunt.

Florentina Synodus hanc propositionem adversus Fœdistragos, quorum caput olim fuerat Photius, tunc vero agmen ducebat Marcus Ephesus, in Fidei definitione his verbis firmavit: *Definimus insuper explicationem verborum illorum, FILIOQUE, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Quod probatur. Ea est auctoritas, vigilantia, & consuetudo Ecclesiæ, ut novis erroribus emergentibus, si id sibi videbitur expedire, Catholica Fidei professionem opponat, qua veritas Christianæ Religionis, accessione alicujus particulæ, non quidem contrariæ, & oppositæ, aut temere additæ, & à communi sensu abhorrentis, sed Scripturarum oraculis ac Patrum traditionibus consonæ, à gliscente errore inviolata servetur. At appositio particulæ *Filioque* dogmati perfidiæ, quod negat Spiritum Sanctum procedere à Filio adversatur, & sacris literis, Sanctorumque doctrinæ concordat, ut præcedenti capite demonstravi. Istam ergo particulam symbolo inferere, jure, opportune, ac prudenter Ecclesia potuit, debuitque. Prob. major. I. Ratione; nam creditam sibi Fidem Catholica Ecclesia servare debet, tueri, & contra portas inferi communire: atque ut depositum servet, ne à Christi ovili humilis plebs adducatur, eam docere ac formare contra doctrinas varias & peregrinas. II. Probatur exemplis: nam Arianorum serpente hæresi Concilium Nicænum addidit symbolo Apostolorum vocem *ὁμοούσιον*, *Consubstantialem*. Exorta hæresi Macedoniana Constantinopolitani Patres inseruerunt Symbolo articulum de divinitate Spiritus Sancti: *Et in Spi-*

*ritum Sanctum dominum, & vivificantem, &c.* Atque adversus Eutychianam hæresim Synodus Chalchedonensis hæc Symbolo adjecit. *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Quod ergo aliquando Ecclesiæ licitum fuit, cur non item licuit novo grassante errore? Quare violatum non est Nicænum symbolum à Patribus Concilii Constantinopolitani & Chalchedonensis, & à Latinis corruptum censetur symbolum Constantinopolitanum? Et cur additio particulæ *ὁμοούσιον* est antiquæ Fidei expositio, non altera, ac nova professio; accessio autem particulæ *Filioque* est alteram Fidem cudere, & professionem veterem violare?

Probatur 2. Contra præcipuum subterfugium Græcorum. Nullo Ecclesiæ decreto vetitum est ad Fidei professionem verbum aliquod adjungere. Immerito ergo insimulantur Latini de corrupto symbolo per additamentum particulæ *Filioque*. Ant. prob. Si id esset aliquo decreto vetitum, maxime Tertiæ, sive Ephesinæ Synodi, cujus parte 1. sess. 6. hæc definitio extat: *Alteram Fidem nemini liceat proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam à Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Hac vero generalis Synodi definitione prohibetur Fides, aut Symbolum contrarium Nicæno, non autem ejus additamentum aut expositio: quod sequentibus momentis demonstratur. Primo: Exhibuit Charisius Ephesinis Patribus symbolum suum, quod non erat neque Nicænum, neque Constantinopolitanum, pium tamen & orthodoxum; ac deinde protulit symbolum Nestorianum, seu formulam Fidei Anastasii, & Photii discipulorum Nestorii: quibus lectis Sancta Synodus præfatam edidit definitionem, & damnavit Nestorianum symbolum contrarium Nicæno, non autem symbolum Charisii Nicæno consonum. Dum ergo vetat Synodus alteram Fidem proferri, aut conscribi, damnat solummodo symbolum Nicænæ Fidei contrarium; alias etiam symbolum Charisii improbasset. Præterea ex præmissa Synodi definitione, si quælibet vetita esset verborum additio facta symbolo, vetita esset additio facta symbolo Nicæno, quod solum commemorat; adeoque non liceret proferre & canere symbolum Constantinopolitanum, cui accessit articulus de divinitate Spiritus Sancti. Sed symbolum Constantinopolitanum ipsi Græci canunt ac proferunt,

3.  
Probatio 1.



ferunt, affirmantes istud in illo contineri virtute, & lecto uno intelligi alterum: Ergo non prohibuit Synodus Ephesina quancunque verborum additionem, sed tantum *Fidei formulam alteram*, nempe Nicænæ Fidei contrariam. Tercio ut docent Legisperiti, lex ex fine Legislatoris explicanda est. Igitur cum initio Actionis legatur convenisse Patres Ephesinos, ut approbarent quæ cum Nicæno symbolo concordarent, & proferberent quæ ipsi viderentur opposita; insertur statuta legem nihil prohiberi, præterquam Professionem Fidei symbolo Nicæno contrariam. Postremo Flavianus in Pseudo-Ephesina Synodo, cui tyrannice interfuit Eutyches, contra hujus hæresim addidit symbolo expositionem, scilicet, *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem*. Eutyches vero recitavit symbolum Nicænum, in quo duarum in Christo naturarum nulla fit mentio, clamavitque Flavianum contra decreta tertiæ Synodi Fidei formulam corrupisse. At Eusebius Dorylæi Episcopus instavit pro Flaviano, Eutychetem mentiri, & nullum esse Canonem, qui novam Fidei expositionem novis hæresibus emergentibus prohiberet. Tum Dioscorus pro Eutychete tulit sententiam, & Flavianus & Eusebius Episcopatu privati sunt. Hæc Pseudo-synodi acta cum legerentur Act. 1. Concilii Chalchedonensis dixerunt omnes Patres, *Αναθεμα τῷ Διοσκορῷ ὅτι κατὰς ἑαυτὸν, Ἀναθέμα Διοσκορῷ, quia male judicavit*. At si Ephesina Synodus decrevisset ne quid symbolo adderetur, recte Dioscorus dixisset sententiam contra Flavianum, cum in laudato Ephesino decreto definitum sit, ut qui *Fidem alteram* componunt, si Episcopi, aut Clerici sint, à Clericatu & Episcopatu arceantur. Ergo Ephesini Patres prohibere duntaxat, ne altera, & veteri repugnans cudatur formula Fidei, non autem ne hæretico insurgente dogmate, cum ulla verborum accessione edi possit.

4. Ultimo probatur assertum. Si particula *Filioque* immerito esset symbolo inserta, id maxime, quod dogma de Processione Spiritus Sancti à Filio falsum esset, aut quia in aliis symboli verbis jam *virtualiter* continebatur. At neutro ex capite probatur hanc particulam temere superadditam. Etenim & Spiritus Sanctus procedit à Filio; & fas est ea inferre, quæ virtute in aliis sacris monumentis præcontineantur, quomodo plura addita sunt ad symbolum Apostolicum; & ad libros veteris Testamenti accesserunt libri Testamenti novi, ad unum Evangelii textum tres alii; ad hos vero Apostolica Epistolæ; tametsi Fides Nicæna *virtualiter* præcontinebatur in symbolo Apolorum, novum testamentum in veteri, postrema Evangelia in priori, & Apostolica documenta in parabolis, monitisque Evangelicis.

REFELLUNTUR OBJECTIONES.

At Græci opponunt 1. definitionem Synodi Ephesinæ, de qua supra in secundo Argumento. Deinde obijciunt decretum Concilii Chalchedonensis, quod recitato symbolo Nicæno, & Constantinopolitano, inquit: *Expositionem alteram nullus faciat. Sufficiunt, quæ exposita sunt. Alteram expositionem non licet fieri*. Sed respondetur Synodum Chalchedonensem sanxisse ne quis auctoritate privata novum symbolum conderet: quomodo Nestoriani, alique hæretici facere consueverant, præsertim ubi nulla adesset necessitas, sicut tunc non erat in causa Eutychetis: cujus error aperte à Synodo Nicæna damnatur, à qua Filius & Patri consubstantialis dicitur, & verus homo, ideoque duplici natura consistens. Neque ipsi Patres hæc de causa novum symbolum, ut Judices postulabant, edere voluerunt, quod nulla compelleret necessitas. Caterum ipsi Patres affirmarunt symbolum cum aliqua additione rectæ Fidei consona non esse *alteram Fidem*, cum in Allocut. ad Imperat. contestati sunt expositionem Leonis Papæ non esse *alteram Fidem*, ut quidam obloquebantur, neque sanctissimum Romanum Pontificem Conciliorum Canones violasse. Vide sess. xi. Florent. Concilii, & argumentum penultimum Juliani S. R. Eccl. Cardinalis.

Tercio opponunt Cyrillum, qui in Epist. ad Joannem Antiochenum ait: *Obiectio 3.* nemini licitum esse *Unam voculam Nicæni symboli immutare, aut unam etiam syllabam præterire*. Et ad Acacium Melitenensem de Ephesina Synodo scribens inquit hanc necessario providisse, ne aliam Fidei expositionem in Ecclesias quis auderet inferre præter eam, quæ jam extabat. Sed constat responsio ex dictis, Cyrillum hæc proferre adversus Nestorianos, quorum audaciam refrænans damnavit Ephesina Synodus symbolum Anastasii & Photii discipulorum Nestorii, opportune definiens ne quisquam pro lubitu Fidei professiones conscriberet & vulgaret, & eas proscribens, quæ Nicænæ quomodolibet opponebantur. Addit Christianus Lupus, Ecclesiam Romanam, ut docet

M

S. Leo

R. P. Berti Theol. Tom. II.



S. Leo Ep. 55. ea sola confirmare, propter quæ Synodus congregatur, & de quibus à Romano Episcopo habet suffragium & mandatum. Quare cum Synodus Ephesina, de qua loquitur beatus Cyrillus, propter hæresim Nestorianam fuerit adunata, & decretum de non immutando symbolo ediderit contra Nestorianam professionem exhibitam à Charisio, hoc decretum ab Ecclesia receptum est propter quæ Synodus fuit congregata, videlicet propter audaciam Nestorianorum. Atque contra eosdem, qui Fidem contrariam Nicænæ profitebantur, & alteram ediderant professionem, scribit Cyrillus Alexandrinus: qui citata ad Joan. Antiöchenum Epistola commendat summo opere ejusdem Joannis, aliorumque Orientalium Episcoporum professionem, qui in symbolo se nihil addituros constantissime asseruerunt; & tamen post hanc solemnem protestationem, non solum Nicænum, ut jacet, sed ampliorem Fidei Confessionem scripserunt. Quamobrem ubi Cyrillus ait licitum non esse *vel unam voculam* Nicænæ Fidei addere aut detrahere, loquitur de additione aut detractioe, quæ symbolo sit contraria, non quæ Fidem orthodoxam exponat.

7.  
Objectio 4.  
cum solutione.

Quarto opponunt additionem hujus particulæ *Deipara* factam non esse symbolo à PP. Concilii Ephesini, quamvis apta esset contra hæresim Nestorianam. Neque hanc particulam addiderunt Patres Concilii Chalcedonensis, etiam si Act. v. nonnulli exclamarent; *Addetur ad symbolum, S. Mariam esse Deiparam*; quippe noverant Patres prohiberi quaecunque additamentum, licet ad symboli fieret expositio. At parum hæc urgent. Siquidem Beata Virgo Maria & Christipara est, & Deipara; peperit enim Christum Deum. Sed quoniam impius Nestorius Dei matrem esse negabat, eamque subdole appellabat *Christotocon*, & ex adverso Eutyches *Deiparam* nominabat, ut doceret peperisse Christum quantum ad Divinam naturam; in symbolo neque *Deipara* nominata est, neque *Christipara*: non *Deipara* propter hæresim Eutychetis; non *Christipara* propter hæresim Nestorianam. Nec ad Fidei confessionem videbatur hæc particula necessaria; quandoquidem Christum esse Deum expresse continebatur in illo articulo, *Et in unum Dominum, &c.* & Virginem hunc Deum peperisse, satis explicabatur in altero, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.* Si tamen Ephesini Patres hanc par-

ticulam addere voluissent, quomodo Nicæni inferuerunt *quædam*, nemo poterat id impedire.

8.  
Objectio 5.  
cum solutione.

Uterius objectant Agathonis Papæ Epist. lectam ac probatam Act. iv. Synodi Sextæ, & alteram Vigilii ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, necnon Septimæ Synodi definitionem; quæ omnia prohibent, ne quid symbolo addatur, vel minuatur. At hæc eodem modo explicanda sunt, scilicet de additione Fidei contraria, ob quam sive dogma de duplici in Christo voluntate propugnatum ab Agathone, sive fides de futura corporum resurrectione assertam à Vigilio posset quoquo modo elevari. Etenim Agatho symbolum & ipse conscripsit, in quo plura extant præter Nicænum, ut constet ex Septima Florentini Concilii sessione: adeoque additionem quamcumque vetare ipse non poterat. Articulus vero de futura resurrectione, quem Vigilii jubet, ne ullatenus immutetur, jam in symbolo Constantinopolitano Act. v. Chalcedonenfis probato erat sufficienter expressus. Est ergo additio, ut jam dudum Theologi tradiderunt, triplicis generis; una quando additur contrarium, & est crimen hæreseos: altera quando additur diversum ac disparatum, & temeritatis nota est: tertia quando additur consonum, & hujusmodi additio est expositio veritatis. Hanc vero, uti id videbitur expedire, potest ubique Ecclesiæ universalis apponere.

9.  
Objectio ultima cum solutione.

Obijciunt ultimo, Leonem III. nonnisi hujus particulæ *Filioque* additionem anno 809. ulla ratione probare, quamvis id postularent Legati Synodi Aquilgranensis. Imo ut se antiquitatis custodem ostenderet, iussit duobus scutis argenteis Symbolum Græcis, Latinisque literis inscribi absque tali additamento, & in Confessione S. Petri pro cautela Orthodoxæ Fidei locari. Idem iussit fieri in Confessione S. Pauli in scuto argenti purissimi, ut refert Photius in Epist. ad Patriarcham Aquilejensem, & colligitur ex Anast. Biblioth. Rom. edit. pag. 305. Et si Anastasius Symbolum absque particula *Filioque* scriptum fuisse non tradit, neque ad Ecclesiæ valvas locatâ scuta ante omnium conspectum, quomodo scribit Photius; rei tamen gestæ historiam veram esse fateamur. At Leo jure merito se antiquitatis tenacissimum præbuit, restititque Legatis Aquilgranensibus, ne quilibet privata auctoritate, & absque Romani Pontificis, & universalis Ecclesiæ consensu, addere symbolo vel minimam

dictio-



ditionem præsumeret. Tamen, ut inquit Cl. Pagius, & constat ex Collatione Legationis Aquisgranensium apud Baronium an. 809. & Sirmundum tom. 2. Conc. Gallia, Leo III. non prohibuit absolute ut symbolum cum tali additamento non caneretur, quod fecisset utique, si illicitum esset, & contra Ecclesiasticos Canones; sed rogavit tantummodo, ut consuetudo illam vocem cantandi in Regia cappella intermitteretur, ratus fore, ut morem Palatii universa sequeretur Francia. Jam vero tale additamentum factum non est privata auctoritate, aut solo approbante Provinciali Concilio, sed desinente Generali Synodo Florentina, & annuente Pontifice.

APPENDIX.

10. Quærent Historici, quo tempore additio particulæ *Filioque* primum facta sit. Manuel Calecas, & Genebrardus hujus additionis auctorem faciunt Damascum. S. Antoninus, S. Sisinius Patriarcha Constantinopolitanus illam tribuunt Nicolao I. & contigisse putant circa annum 858. Julianus Cardinalis, & Andreas Colossensis tenent hanc particulam insertam à Synodo Septima Generali anno 787. Horum sententiam amplectitur Baronius. I. quia Julianus Cardinalis sess. v. Conc. Flor. exhibuit vetustissimum Codicem exaratum ante exortam de Processione Spiritus Sancti inter Latinos & Græcos controversiam, quem proinde suspicari non possumus fuisse corruptum. II. Quia reperitur hæc particula etiam in versione ejus Concilii Anastasii Bibliothecarii ad Joannem VIII. conscripta, & antiquissimo Græco textu. III. Quia constat ex libro

dicto *Capitulare adversus Nicenam Synodum* misso à Carolo Magno per Engilbertum, Tharasum ab Adversario fuisse reprehensum, quod non dixerit *A Patre, Filioque* secundum Nicæni symboli fidem. Attamen propter ea, quæ narrata sunt de Leone III. gravis oritur suspicio, num à Juliano Cardinale optimæ notæ Codex productus fuerit. Quin & negant aliqui mentionem hujus particulæ fieri apud Anastasium Bibliothecarium, uti revera nec nos invenimus. Vereor, ne pro symbolo 2. Nicænæ Synodi Scriptores præfati memorare voluerint sermonem S. Athanasii de Passione Imaginis J. Ch. in Syria civitate Beryto, qui habetur Act. IV. ejusdem Synodi, & in quo extant hæc verba: *Unus Spiritus Sanctus ab utroque procedens, per quem veraciter nos credimus esse salvandos.* Verum & hæc verba tam in Græco Conciliorum Codice, quam in Græca Operum Athanasii editione desiderantur, & videntur mihi à Latino Interprete superaddita. Nisi mavis abraha à Græcis, quomodo in Epistola Synodali Agathonis factum esse de consimili textu credit Severinus Binius.

Inter hæc incerta penitus, & nondum satis explorata, id unum compertum est, particulam *Filioque* apud Hispanos obtinuisse vertente seculo sexto. Reperitur enim in Toletano III. Concilio celebrato an. 589. in IV. an. 633. atque deinceps in aliis. In Galliis autem, & in Germania receptam arbitramur post Synodum Aquisgranensem, de qua supra. Sed quo præcise tempore Romana & universalis Ecclesia hanc additionem probaverit, potius doceri volumus, quam temere definire.

11. Responsio.

CAPUT XX.

Quo sensu Filius & Spiritus Sanctus dicantur Missi.

SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Probatur, Patrem neque à Filio neque à Spiritu S. mitti.
3. Ostenditur, Filium posse dici missum ratione naturæ humanæ ad homines redimendos.

4. Habetur Notandum, quo sensu Filius etiam possit dici missus à spiritu S.
5. & 6. Evincitur Spiritum S. mitti à Patre, & Filio. an. 7. usque ad 10. Solvuntur contraria.
11. Resolvitur quæsitum, quomodo species columbæ dicatur missio Spiritus S.

1. Quo sensu Filius & Spiritus S. dicantur Missi.

**M**ISSIONEM divinarum Personarum duo importare concordissime docent Theologi, id est, unius Personæ æternam ab altera processionem, & temporalem aliquem effectum, qui præsertim ad ordinem gratiæ pertineat. Non enim in Deo locum habet *missio*, quæ dicitur per imperium, quæ

R. P. Berti Theol. Tom. II.

lis. ea est qua Dominus mittit famulum; nec etiam ea quæ appellatur per consilium, qua Consiliani & administri Regem dicuntur mittere ad bellum: nisi mandatum, consiliumque accipiatur pro ipsa persona mittente, quæ sua voluntas est, & si de Verbo loquamur, titulo quodam peculiari ratio & *sententia* Patris;

M 2

aut,



aut, nisi consilium præceptumve appellet supra Personam, ut inferiori natura circumdatam, uti est Filius, qui pro humani generis reparatione carnem assumpsit. Verum enimvero dare mandata alicui superioris est: consilium autem alterius sequi, aut spectare, rerum exitum timentis, vel ignorantis. Hujus ergo generis *Missionem* à Deo removendam esse concordis sensu arbitramur: at de ea, quam principio descripsimus, paulisper est disceptandum.

2.  
Pater nec à  
Filio nec à  
Spiritu S.  
mittitur.  
Probatio.

PROPOSITIO I. Pater neque à Filio, neque à Spiritu Sancto mittitur.

Breviter probatur S. P. Augustini auctoritate & ratione. Ait. S. P. lib. contra serm. Arian. cap. 4. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat. Non enim splendor, aut fervor ignem; sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.* Quibus verbis etiam Theologica ratio monstratur: quippe Persona, quæ mittitur, dicit processionem & originem à mittente: Pater non habet originem, nec procedit ab alia persona: Ergo Pater à nulla aliapersona mittitur.

3.  
Filius potest  
dici Missus.  
Probatio.

PROPOSITIO II. Filius potest dici Missus, ratione humanæ naturæ, ad homines redimendos.

Et hæc propositio breviter demonstratur. Ad Galat. iv. 4. legitur: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et Joan. x. 36. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* His verbis declaratur Patrem misisse Filium suum factum ex muliere. Quod autem etiam à Spiritu Sancto Filius missus fuerit, ipse Christus id affirmat Lucæ iv. 18. exponens de se ipso verba Isaia 61. *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Accedit & ratio. Etenim Filius à Patre genitus est, ab eoque una cum aliis personis est Incarnatio efficienter peracta: Ergo in Filio adinvenitur origo æterna à Deo Patre, & efficientia temporalis; in quibus, ut diximus, sita est vera ratio *Missionis*.

4.  
Quomodo  
Filius à Spi-  
ritu S. mis-  
sus.

Quantum vero ad Spiritum Sanctum pertinet, levis oritur difficultas, quomodo ab eo Filius dicatur *Missus*, cum Filius à Spiritu non procedat. At licet non procedat quantum ad Personam divinamque naturam, tamen etiam à Spiritu ejus humanitas perfecta est, cum sit Christus Jesus totius Trinitatis operatione plasmatus; adeoque in eo quod spectat ad naturam humanam, Filius etiam à Spiritu Sancto accepit ut esset. Fortasse dicturus es: hoc modo etiam Filius, & Spiritus Sanctus *Mittuntur* à

se ipsis. Recte quidem loqueris, & cum Augustino, qui lib. 11. de Trinit. cap. 5. *Pater invisibilis, inquit, una cum Filio secum invisibili eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est:* quæ subinde etiam de Spiritu Sancto magnus Augustinus declarat, à quo pariter creaturæ species facta est, quando veluti Columba descendit.

PROPOSITIO III. Spiritus Sanctus mittitur à Patre & Filio.

Et hæc probatur breviter & summam. Primo ex Scripturis: Joan. xiv. 26. habetur: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo; & xvi. 7. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Deinde ratione: Spiritus enim Sanctus procedit à Patre, & Filio: ideoque habemus originem & processionem, quæ primo ad *Missionem* requiritur. Est præterea effectus productus in tempore, qui aut Spiritus Sancti ejusque præsentia signum & vestigium est singulare; ut species Columba, & dispersa super Apostolos lingua: aut Spiritui Sancto titulo particulari tribuitur, ut animarum sanctificatio, & charitas, quæ in cordibus nostris eo operante diffunditur.

5.  
Spiritus S.  
mittitur à  
Patre & Fi-  
lio.  
Probatio.

Consequitur autem ex dictis primo *Missionem* duabus tantum convenire personis; Filio, qui à Patre & Spiritu Sancto ad reparandum humanum genus missus dicitur: ita tamen, ut à Spiritu Sancto missus sit, quatenus Mittens idem est, ac producens effectum, vel prout largè accipitur missio pro temporali efficientia, sive plasmatione Dominici Corporis & productione humanitatis; non vero pro sempiterna divinarum personarum origine. Pro qua vicissim si *Missionem* acceperis, etiam æterna Filii à Patre Nativitas, & Processio Spiritus Sancti ab utroque, *Missio* appellari potest; neque defunt exempla Græcorum Patrum, qui processionem illam æternam identidem dixerunt *ἐκπεμψή*, idest, *Emissionem*. Quare *Missio* propriè sumpta, ut originem effectumque significat, & Filii qui mittitur à Patre, & Spiritus Sancti qui mittitur à Patre & Filio. Sequitur præterea *Missionem* posse dici simul & æternam, & in tempore: æternam, ut Scholæ utar vocabulo, secundum *habitudinem* ad principium: atque in tempore secundum *habitudinem* ad effectum. Insuper liquet ex dictis, *Missionem* aliam esse visibilem, aliam invisibilem: quod ex qualitate effectum potest quisque dignoscere. Etenim quando E. G. Christus in Bethlehæm natus est, aut Spiritus Sanctus corporali

6.  
Explicatio  
ulterior.



porali specie descendit, facta est visibilis *Missio*: quando autem charitas in cordibus nostris diffunditur, *Missio* peragitur invisibilis. Una autem cum charitate, & sanctificationis gratia etiam Spiritus Sancti Personam dari & mitti, liquido confirmavi cap. xiv. in Confutatione argumentorum ex libro Wolzogenii de Tribus in una Deitate Personis.

7.  
Obijciunt 1.

Adversus prædicta hæc obstare videntur. Inferitur ex *Missione* unius personæ ab alia in Trinitate inæqualitas: neque enim hæreticorum disputationi satis occurritur, si *Missionem* explicemus de sola personarum origine, & de externa illarum efficientia. Quod enim conjunctum est in aliquo corpore ab alia ejusdem corporis parte mitti non potest, nisi forte scindatur ac divellatur; ideoque si Spiritus Sanctus mittitur à Patre & Filio, necesse est, ut separetur ab utriusque divinitate. Insuper Christus Dominus Joann. xx. 21. ita discipulos allocutus est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: Ergo quemadmodum discipuli minores sunt Christo, quia ab ipso missi, ita & Filius minor erit Patre, quia à Patre se fuisse missum testatur.

8.  
Respondetur.

Resp. nego *Missionem* indicium esse inæqualitatis aut separationis Personarum, etiamsi *Missio* Filii in mundum, cum habeat externam efficientiam, quæ est assumptio naturæ humanæ, inferat in eo præter divinam substantiam, qua est Patri *Omnoius*, etiam naturam alteram, secundum quam ei subijcitur; ut diximus capite xii. *Missio* ergo importat tantummodo externam alicujus effectus productionem, æternamque unius Personæ originem ab alia, quæ illam mittit. Neque oppositum probat exemplum corporum, tametsi non videatur prorsus inusitatum dicere mitti ab homine manum aut pedem. Verum id, quod in aliquo corpore est conjunctum, idcirco non mittitur, quoniam corpora localiter moventur, & si una pars amoveatur ab alia, non erunt amplius in eodem corpore copulatæ. In divina autem *Missione* Persona quæ mittitur neque simili ratione movetur, neque loco, aut natura sejungitur à mittente. In cap. Joannis xx. habet Græcus codex καὶ ὁ ἀπεσταλμένος ὡς ὁ πατήρ: *Sicut misit me Pater*. Et particulam καὶ ὡς non esse semper notam æqualitatis ostendimus cap. xi. Eorum ergo verborum sensus est: *Ea vos charitate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem ve-*

nire ad tolerandas passiones fecit; ut inquit Homilia sexta ac vigesima in Evangelia Sanctus Gregorius.

9.

Obijciunt 2.

Potest rursus sic objici: Si Filius dicitur missus etiam à Spiritu Sancto, ut inquit Propheta: *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*; & nos affirmavimus 11. proposit. infirmum erit argumentum, quo adversus Græcos cap. xvii. conati sumus probare Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio, quoniam ab ipso mittitur. Instabunt enim Græci: Filius missus est à Spiritu Sancto, nec tamen Filius à Spiritu Sancto procedit: Ergo Spiritus Sanctus mitti potest à Filio, licet à Filio nequaquam Spiritus ipse procedat. Quod si respondeamus Filium fuisse missum à Spiritu Sancto, in quantum in Christi Incarnatione inseparabilis operatio Trinitatis agnoscitur, uti loquitur in Fidei professione xi. Synodus Toletana: poterunt & Græci respondere, Spiritum Sanctum missum fuisse à Filio, quatenus externa illa species, qua Spiritus Sanctus apparuit à tota simul Trinitate producta est.

10.

Respondetur

Resp. firmissimum esse validissimumque argumentum prædictum, quo utuntur Patres eodem cap. xvii. citati, & Theologi omnes, qui de Processione Spiritus Sancti pertractant adversus Græcos; nec posse illud hoc leviori momento perfringi. Fatemur enim Personam mitti etiam ab alia, à qua non procedit, imo & à semetipsa, si *Missio* accipiat *large*, atque pro externa duntaxat efficientia, ut docent Augustinus 2. de Trinit. cap. 5. & lib. 15. cap. 19. nec non Magister sententiarum Dist. 15. & S. Thomas q. 43. art. 8. At si *Missio* sumatur rigorose, proprièque. utrumque simul requirit æternam processionem, & externum effectum. Hæc duo in *Missione* Spiritus Sancti à Filio memorata cap. xvi. Joannis manifestissime comprehenduntur. Et de externa efficientia, vel ea sit visibilis species linguarum, vel invisibilis affluentia donorum, conspirant nobiscum Adversarii. Æternam vero processionem Personæ ibidem significari constat, quoniam præter externum effectum etiam vera & realis Spiritus Sancti Persona à Filio mittitur. Id cap. 14. ex pronomini enallage, ex præpositione Articuli, aliisque certis regulis adversus Faustum Socinum demonstravi, eodemque cap. xvii. nonnulla addidi. Quapropter neganda est consequentia hujus postremæ argumentationis: nam Filius missus est à Spiritu Sancto *Missione* illa *large* sumpta, quæ ad solam Incarnationis operam refertur,

M 3

not



non ad Filii personam; & econtra Spiritus Sanctus mittitur à Filio *Missione* propriè accepta, quæ respicit cum externam efficientiam inseparabilis Trinitatis, tum etiam subsistentem personam procedentem à Filio.

II.  
Quomodo  
species co-  
lumbæ dica-  
tur *Missio*  
Spiritus S.

Si nunc exquiras, quomodo species Columbæ dicatur *Missio* Spiritus Sancti, quando tres personæ illam inseparabiliter effecerunt; respondet Magnus Augustinus in lib. iv. de Trinit. cap. 21. *Quemadmodum cum memoriam meam & intellectum & voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt; nullum enim horum tri-*

*um nominum est, quod non & memoria, & intellectus, & voluntas mea simul operata sunt. Ita Trinitas simul operata est & vocem Patris, & carnem Filii, & Columbam Spiritus Sancti, cum ad singulas personas hæc singula referantur.*

Potuit ergo Columbæ species esse signum Spiritus Sancti, licet totius Trinitatis esset effectus: quemadmodum vox, quæ intonuit in Christi baptisinate referri ad Patrem, & Incarnatio spectare tantummodo ad Filium, etiamsi exterior Trinitatis operatio sit penitus inseparabilis. Atque hæc de *Missione*, ne disputatio ultra quam satis sit, protrahatur.

## C A P U T XXI.

De Græcis Latinisque vocabulis, quorum disputantibus de Trinitate frequens est usus.

### S U M M A R I U M.

à num. 1. usque ad 5. declarantur græca vocabula in hac materia communiter occurrentia.

à num. 5. usque ad 13. explicantur latina,

Græca, Latinæque vocabula de trinitate.

**A**D extremum libri hujus Polemici perventum est, dummodo voces quædam crebro repetitæ, Patrumque usu probatæ explicantur: in quibus rectum ordinem tenebimus, si quæ communes sunt pluribus, priorem locum obtineant, postea vero sequantur, quæ uni tribuuntur personæ. Communes ergo sunt.

go Græcum nomen *Uſia* Latino *Essentia*, quam indiscriminatim *Essentiam, naturam, & substantiam* dicimus: ideoque recepta post Nicænam Synodum consuetudine ut docet S. P. Augustinus lib. v. de Trin. cap. 9. non audemus dicere neque tres *Uſias*, neque tres *Essentias*, neque tres *Substantias*.

I.  
*Uſia*.

I. *Ὀὐσία Uſia*: idem significat ac τὸ ὄν, *Quod est*, vel τὸ τί ἦν εἶναι, quod respondetur sciscitanti quid sit res. Sit exemplum: interrogas quid sit homo, & respondemus substantiam esse corpore animoque præditam: est ergo hominis *Ὀὐσία* esse substantiam corpoream simul & rationalem. Sabelliani, qui pluralitatem personarum negabant, *Ὀὐσίαν* putabant idem esse ac personam, Deumque Trinum appellabant *μονοὺς*, id est, unius *Uſiæ*, ac Patris Filium *ταυτοὺς*, id est ipsiusmet *Uſiæ*. Quamobrem etsi revera Deus est *μονοὺς*, & λόγος ταυτοὺς, erant hæc nomina in ore Sabellianorum blasphemix. Plura de hoc nomine cap. 13. Post exortam Arianam hæresim, quæ ex adverso negabat in Deo Trino unitatem naturæ, & fatebatur pluralitatem personarum, dixerunt nonnulli Filium esse *γεννητὴν ἑστίαν*, genitam *usiam*, hoc vocabulum usurpantes pro persona, quæ habet cum aliis eandem essentiam. Respondet er-

II. Natum hinc vocabulum *ὁμοούσιος*, 2. *Consubstantialis*, nec non *ὁμοιόσιος*, *Sub-* *Consustantialis*. quæ non unum sensum patiuntur. Nam olim Platonici dicebant esse *ὁμοούσιος* Deos, stellas, homines, & quæcunque ejusdem speciei sunt, sed eandem naturam inter se individua proprietate scindunt ac dividunt. Quo sensu Filium aut Spiritum Sanctum esse Patri *ὁμοούσιος*, negabant inculpate ante Nicænam Synodum nonnulli Patres. Causa tamen ventilata, & appositæ cautione, quod *ὁμοούσιος* propria ac nativa significatione demonstrat id quod est *Consubstantialis* alteri, nec ullatenus significat partitionem substantiæ; nequit hoc vocabulum rejici, nisi à pestilentissimis Ariani. Callide hi substituerant *ὁμοιόσιος*, quod similitudo versetur etiam inter plura, quorum non est una essentia: quia tamen Patri non potest similis esse persona non habens eandem divinitatem, (nulla enim creatura potest esse perfecte similis Deo,) etiam *ὁμοιόσιος* aliqui Catholici probaverunt.

III. *Ὑπο*



3.  
In essentia  
aliud cogi-  
tatur quod  
est, aliud  
principium  
quo est;  
aliud mo-  
dum, quo  
est.

III. Ut fecit imbecillitas intellectu-  
nis humanæ plures in eadem re distin-  
ctiones, ita in *Essentia* aliud esse cogi-  
tat quod est, aliud principium quo est,  
aliud modum quo est: primum dicitur  
à Græcis *ἐστίς*, secundum *φύσις*, ter-  
tium *ὑπόστασις*, respondentque Latinorum  
*essentia*, *natura*, *existentia*. Atque  
de *Essentia* dictum nuper. *φύσις* vero,  
hoc est *natura*, dicitur à *φύω*, gigno,  
pario, nascor; unde spectata sola no-  
minis etymologia *φύσις* significare potest  
etiam personam, quemadmodum & *ἐστίς*.  
Dicitur propterea à Nazianzeno apud  
Petavium lib. IV. cap. 2. Filius *φύσις*  
*γεννητορὸς ἰσῆ*, *Natura æqualis Genitori*.  
*ὑπόστασις* primaria notio *Existentiam* de-  
signat: derivatur autem ab *ὑπάρχω*, quod  
est *sum*, aut *existo*. Aliquando tamēn  
peculiarem existendi modum, seu pro-  
prietatem denotat personarum.

4.  
Hypostasīs.

IV. Sequitur *ὑπόστασις* ab *ὑπὸ*, *sub*, &  
*ἵσται*, *sto*. Est ergo *hypostasis* *ὑπὸ ἑαυτῶν  
νοσῶν*, *res per se subsistens & intelligens*:  
designatque proprie personam, nec recte  
enunciatur de rebus destitutis mente &  
ratione; etiam si conveniat illis ad dif-  
ferentiam accidentium substantiæ voca-  
bulum. *Hypostasim* Latini dicunt *Sub-  
sistentiam*. Est autem diligenter no-  
tandum veteres usurpasse nomen *Hyp-  
ostasios* ad significandam substantiam sua  
existentia præditam, non abstractam sub-  
sistentiam: quam significationem probat  
etiam allata etymologia. Neque id soli  
antiqui Philosophi tradiderunt, ut de-  
monstrant Curcellæus & Clericus, quo-  
rum vix ullam rationem arbitror esse ha-  
bendam; sed Irenæus, Dionysius Roma-  
nus, Patres Sardicenses, alique apud  
Petavium lib. IV. cap. I. qui *Hyposta-  
sim* nulla alia ratione ab essentia distin-  
guunt, nisi prout etiam subsistendi mo-  
dum comprehendit. Cum ergo sub-  
stantia una in tribus personis sit, nil  
mirum si complures antiqui unam in Pa-  
tre & Filio dixerunt *Hypostasim*, & La-  
tioni Patres, inter quos etiam Hiero-  
nymus, & Augustinus, aliquando tres  
*Hypostasies* dicere detrectarunt. At si  
*Hypostasim* pro relativa subsistentia &  
Persona, quæ per eam constituitur ac-  
cipiamus, æquum est tres *Hypostasies*  
nominare. Et quoniam hac significa-  
tione *Hypostasim* usurparunt Constanti-  
nopolitanum primum, & Oecumeni-  
cum secundum Concilium, Chalcedo-  
nense, & quintum, & sextum, & Pa-  
tres, ac Theologi propemodum infiniti;  
recedendum est ab antiquiori consuetu-

dine, & unius *Usiæ*, trium vero *Hyp-  
ostasios* confessio tenenda est. Ex qui-  
bus constat controversias omnes circa  
*Hypostasios* unitatem, aut pluralitatem,  
esse à vocis ambiguitate derivatas. In-  
ter Criticos, qui contendunt *Hyposta-  
sim* antiquioribus idem fuisse ac *Usiam*,  
& alios qui sustinent semper significasse  
personam, nos medium iter ingredi-  
dimur. Addit rêvera *Hypostasis* ad  
*Usiam* subsistentiam: sed subsistentiæ,  
ut explicabimus lib. IX. cap. 6. duo di-  
stinguenda sunt munera, id est, reddere  
rem perfecte subsistentem, & illam ita  
definire, ut sit alteri incommunicabilis.  
Itaque si contendas cum Bullo, Cle-  
rico, & pluribus etiam Catholicis sem-  
per *Hypostasim* significare apud veteres  
*Essentiam* præditam subsistentiæ, dicam  
id falsum esse accepta subsistentia prout  
reddit naturam incommunicabilem, con-  
stituitque personam: & ratio est aper-  
tissima, quoniam antiqui Patres confi-  
tebantur tres esse personas unius *Hyp-  
ostasios* non intelligebant proprietatem  
personalem, & peculiare munus subsi-  
stentiæ. Quod si velis econtra *Hyposta-  
sim* apud veteres idem fuisse cum *Essen-  
tia* & *Usia*, ut scribit Hieronymus Epist.  
57. ad Damasum; dicam id falsum esse  
de *Usia*, prout excludit omnimode sub-  
sistentiam, ac primum munus illius,  
quod est naturam complere & reddere  
subsistentem: quod vel ipsum nomen  
*Hypostasis* non obscure demonstrat. E-  
contra verum erit quod scribit Hiero-  
nymus, quia rêvera antiqui nomine  
*Hypostasis* designabant *Usiam*: & verum  
simul erit quod recentiores Critici con-  
tendunt, quia rêvera *Hypostasis* signifi-  
cat apud omnes *Usiam*, non utcunque,  
sed subsistentem. Brevi dicam: Qui  
unam *Hypostasim* affirmaverunt, *Usiam*,  
& subsistentiam absolutam hoc nomine  
designarunt: qui tres *Hypostasies*, *Usiam*  
& subsistentias tres relativas. Hæc au-  
tem ego, ad componendas eruditorum  
virorum circa significationem *Hyposta-  
sios* graves, dissentaneasque conjectu-  
ras.

V. *Personæ* vocabulum non substan-  
tiam, sed qualitatem solam demonstrare  
apud Latinos Scriptores, quidam falso  
dixerunt: quos refellere possumus mul-  
torum auctoritate. Sed unus sufficiat  
Cicero, apud quem stat incorrupta La-  
tini sermonis integritas. Is Ep. 48.  
*Cæsar*, inquit, *nunquam nisi honorifi-  
centissime Pompejum appellat, at in ejus  
persona multa fecit asperius*: aliaque  
sunt

5.  
Personæ.



sunt exempla in Thesauro Nizolii. Originem tamen nominis haud male Boetius repetit ab histrionibus: quos Græci vocant πρόσωπα, quod vultum obtegant. Est enim προσωπον *facies*, & pars vultus proxima oculis, quomodo docent nos Græci. Personam vero esse *Rationalis naturæ individuum substantiam*, Philosophi tradunt: in qua definitione *Individua substantia* dicitur, quæ constat communi essentia, & certa proprietate, quæ non potest alteri convenire. Hanc autem proprietatem sola mente nostra distinctam ab essentia dicimus in prima Trinitatis persona *Paternitatem*, in altera *Filiationem*, in tertia denique esse *Spiratum*. Quæ omnia aut in superioribus fuerunt explicata, aut, si quid remanet dilucidandum, perspicuum erit in eo, qui ad proximum librum consequetur. Atque ita communibus vocabulis expositis, propria singularum Personarum, quæ Græci appellant τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας, jam persequor.

6. *Primæ Personæ proprietatis est esse Patrem.*

VI. Itaque personalis primæ Personæ proprietatis est *esse Patrem*, & peculiare nomen ipsius, nomen *Patris*: quod, dum idem est ac Procreator & sator, aut altor filiorum, convenit cæteris quoque personis, & nomen πατήρ est à πάω, *Pasco*, curamque gero natorum: sed ut significat *Parentem* ac generatorem, & derivatur à *Pariundo*, respondetque Græco γενέτωρ, *A quo partus nascitur*, singulare est Patris à quo æternus Filius gignitur, & substantialiter nascitur. Appellatur apud Patres *Ingenitus*, *Principium*, *Causa*, *Auctor*, & *Fons* totius Trinitatis.

7. *Ingeniti vocabulum significat non productum.*

VII. *Ingeniti* vocabulum, græce ἀγέννητος non geminata media consona, græco ημ significat *non productum*; est enim à γίνομαι, *Fio*; unde est unaquæque persona ἀγέννητα, id est *Non facta*. Ea litera autem duplicata, est à γεννάω, *gigno*, ideoque significat *non genitum*: ut dixi cap. xvi. ad ultim. Addidi ibidem Spiritum Sanctum esse ἀγέννητον, non ἀγέννητον, nec male. Si dicas, cur non est ἀγέννητος, *Ingenitus*, si non est genitus? Quoniam scilicet Spiritus Sanctus licet non sit generatione, habet tamen principium: & nomen *Ingeniti* & personam significat quæ non est genita, & quæ non est procedens à Genitore; quemadmodum nomen *Geniti* eam designat, quæ generata est & procedit à Patre. Itaque Spiritus Sanctus, qui

po est appellari ἀγέννητος in quantum non est *Genitus*, sed non in quantum à Genitore non procedit, cum ab eo procedat reapse, *Ingeniti* nomen non habet: quod utroque titulo remanet Patri, & quia ipse nequit esse genitus, & quia non potest ab alio Patre procedere.

VIII. Ob eandem causam appellatur *Principium*, *Auctor*, *Fons*, *Causa*, Græce ἀρχή, πηγή, αἰτία; nam ἀνδέντην Græci in Divinis perraro, vel nunquam dicunt, quod hoc nomine is designetur, qui cæteros jure ac dignitate antecedit. Ut illi à nomine *Auctoris*, ita Latini à nomine *Causæ* abstinent, cui inesse putant vim significando non qualecunque principium, sed illud à quo producitur effectus natura alius. Atque hinc est, quod Patrem appellant principium Filii, & Deum causam creaturarum. Quam *Causæ* significationem non habet Græca vox αἰτία; adeoque Patrem *Causam* Filii vocant Græci sapissime. Si vero Latini quidam *Causam* interdum dixerunt, ut Augustinus lib. 83. Quæst. 16. Græcorum morem secuti sunt; quomodo & Græci Latinorum, si aliquando negant Patrem esse *Causam* Filii: sed sunt hæc exempla rarissima. *Auctoris* autem nomen Cicero ad Act. 118. accepit pro duce ac principe, alibi pro Architecto aut præfecto: & Livius lib. 4. dec. 4. & idem Cicero, pro tutore, & actore, idque non semel. Hoc ergo sensu Patrem *Auctorem* Filii non dicimus; ut docet lib. 3. contra Max. cap. 14. S. Augustinus, & S. Thomas in 1. Sent. dist. 29. q. 1. art. 1. Sed *Auctor* idem quoque est Latinis, ac *Principium*, & *Genitor*, ut ibidem Augustinus, & Hilarius in 9. de Trinitate observant: atque hac significatione Patrem *Auctorem* Filii credimus & profiteamur. Igitur hæc omnia, *Principium*, *Fons*, *Causa*, *Auctor*, & si quæ sunt his similia, dicuntur de Patre quatenus est Filii, & Spiritus Sancti origo prima, quæ à nulla alia persona procedit.

IX. Secunda autem Persona passim vocatur *Filius*, *Verbum*, *Imago Patris*, *Splendor*, *Character*, *Sapientia*; Græce υἱός, λόγος, εἰκών τῆ πατρὸς, ἀπαύγασμα, χαρακτήρ, σοφία: quorum tria magis propria videntur, & reliqua appellativa. Et *Filius* quidem ex Græco υἱός, id est *Gigno*, vel *Nascor*, υἱός, aut υἱὸς à κύνω, vel κύνω, hoc est, *Gesto in utero*, demonstrat personam genitam, natam, & à sinu genitoris prodeuntem. *Verbum* autem,

8. *Cur Patet dicatur principium, auctor, fons, causa.*

9.

*Nomina propria Filii.*



autem, vel λόγος, hunc Filium non gigni externa productione foetus, & de-  
cisione, neque nasci avulsū ab utero,  
quomodo mortalium filii: sed in sinu  
Patris commorari; uti mentis nostræ  
verbum à mente, quæ illud concipit,  
non divellitur. Quare vocatur à Jo-  
hane cap. i. λόγος πρὸς τὸ Θεόν, *Verbum*  
*apud Deum*; & infra v. 18. μονογενὴς  
υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, *Uni-*  
*genitus Filius, qui est in sinu Patris.*  
Noto haberi hic in Græco cum propo-  
sitione εἰς, *In*, accusativum κόλπον, *Si-*  
*num*: quod monstrat Filium esse Patri  
maxime intimum. Dicitur etiam λόγος,  
quasi *Ratio*, & *definitio*, quoniam non  
solum comparatur ad Patrem, ut ge-  
nitus ad generantem; sed etiam ad  
omnia quæ facta sunt, ut *Ratio* & *idea*  
opificis ad effecta. Etiam *Verbum Pa-*  
*tris* Filius appellatus est, quod Sermo  
nunciat occultas mentis cogitationes,  
& invisibilis Pater per Verbum nobis  
manifestatus sit: unde ait citato loco  
Joannes: *Deum nemo vidit unquam:*  
*Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse*  
*enarravit.* Imago non eo tantum ap-  
pellatur, quod referatur ad Patrem, &  
sit ei similis in natura; id enim conve-  
nit etiam Spiritui Sancto: sed quia re-  
fertur ad Patrem solum, eumque re-  
præsentat propriissimo Filii charactere,  
cujus primaria notio est esse Patris ima-  
ginem, ab eoque procedere in similitu-  
dinem naturæ.

10.  
Appellativa  
Nomina.

X. Alia autem nomina appellativa esse  
liquet; nam *Sapientia* primario signifi-  
cat perfectionem absolutam, ut veritas,  
magnitudo, potentia, & cætera ejus-  
modi, quæ singulis personis conve-  
niunt. Esse *characterem* & signaculum  
Patris & Filii proprium est Spiritus San-  
cti, ut diximus cap. xiv. *Splendor*  
quoque trium Personarum gloriam, ma-  
jestatemque significat. Erunt tamen  
& hæc propria Filio, si relative suman-  
tur, E. G. si dixeris, *Sapientia* genita  
à Patre, *Splendor* Paternæ gloriæ, *Cha-*  
*racter* paternæ hypostaseos: at absolute  
prolata, nec sapientia, nec character,  
nec splendor demonstrant generatio-  
nem, aut relationem ad patrem, &  
consequenter non videntur nomina adeo  
Filii propria, ut sunt *Verbum*, λόγος,  
& *Imago*.

11.  
Filio cum  
Patre con-  
venit esse  
principium  
Spiritus S.

XI. Filio una cum Patre convenit  
esse Spiritus Sancti principium: unde  
*Spirationem* diximus esse proprietatem,  
quam appellant Theologi *Notionalem*.  
*R. P. Berti Theol. Tom. II.*

Sunt autem *Notiones* quædam nomina,  
quæ singulares divinarum personarum  
exprimunt characteres, quibus ad in-  
vicem distinguuntur. Cum ergo tertia  
Persona sit ab aliis diversa, debet à dua-  
bus procedere, quod non incongrue,  
ut mox dicam, appellatur *Spirari*.  
Ergo *Notiones* quinque erunt, *Innasci-*  
*bilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio*  
*activa*, & *Spiratio passiva*. Placet enim  
probata usu vocabula retinere. Quan-  
tum spectat ad *Paternitatem*, *Filiatio-*  
*nem*, ac *Spirationem passivam*, quæ  
sunt trium personarum constitutiva, ne-  
minem puto ideam horum nominum  
non percipere. De *Spiratione* vero  
*activa* dictum satis cap. xvii. & xviii.  
& de ratione *Ingeniti* præcedenti nu-  
mero vii. Gignere, nasci, procedere,  
& cætera istiusmodi non dicuntur *No-*  
*tiones*, quoniam non exprimunt existen-  
tis personæ characterem, sed originem  
potius ac productionem. Cætera nomina  
ab his sola voce, literisque diversa  
sunt; & singula sunt hoc eodem loco  
explanata. Tantummodo est adverten-  
dum non designari his nominibus rem  
aliquam ab ea distinctam, quam signi-  
ficant vocabula essentialia & communia,  
de quibus supra. De distinctionibus  
vero Scholasticorum non est hujus libri  
disserere.

XII. Tertia Persona appellatur *Spiri-*  
*tus Sanctus*, *Donum*, *Charitas*, *Conso-*  
*lator*, græce τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, δώρα, ἀγάπη, παρακλητός: quorum tria primo  
commemorata significant Personam pro-  
cedentem à Patre ac Filio: postremum  
illam, quam nobis impertitur Spiritus  
suavitatem, donorumque affluentiam.  
*Spiritus* enim à *Spiro* dicitur, quoniam  
ut halitus ex corde & ore spiratur, sic  
tertia persona à Patre Filioque procedit:  
atque Græcum πνεῦμα similiter est à πνέω,  
*Flo*, *spiro*. Additur ἅγιον, *Sanctus*,  
ne credatur illum esse ad instar venti,  
aut flatus, sed *Spiritum* viventem, &  
vivificantem: & ne comparetur spiri-  
tui hominis peccatis obnoxio, vel An-  
gelis non essentialiter sanctis, sed gra-  
tia. De *Dono* dictum satis cap. xiv.  
Huc etiam spectant vocabula *Amor*, *Cha-*  
*ritas*, *Osculum*, & similia, quæ omnia  
notæ sunt duorum se diligentium.

12.  
Vocabula de  
Spiritu S.

XIII. *Paracletus* nomen Græcum  
est à παρακλητός, *Rogo*, *hortor*, *conso-*  
*lor*, *advoco*. Designantur hoc nomine  
gratiarum charismata, præsertim men-  
tis illustrationes, pia cordis desideria,  
N gratia

13.  
Paracletus  
quid dicat.



gratia orationis, aliaque munera, quæ nos ad sanctitatis initium, atque incrementum alliciunt, vel trahunt. Tum sanctitas ipsa, quæ est quædam Spiritus Sancti in cordibus hominum habitatio. Denique hujus Sanctitatis ornamenta, quæ dicuntur fructus Spiritus Sancti, id est, gaudium, pax, & cætera, de quibus Apostolus ad Galatas v. 22. Quamquam vero etiam Filius *Paracletus* est, & Consolator, ut Sacrae literæ testantur; gaudet hoc nomine præsertim Spiritus Sanctus, propterea quod munere charitatis ipsi præcipue attri-

buto ubertates donorum conferuntur, atque augentur. Ea re quidquid in hoc libro, cujus finem jam attigi, aut ad fidem Trinitatis firmandam, aut ad promovendam pietatem ac religionem (quod vereor ne minimum sit) potest piorum Lectorum mentem accendere, etiam atque etiam obtestor, ne homini præ cæteris ignoranti ac flagitioso, qualem me esse cognosco, referatur acceptum; sed summo ac sempiterno Spiritui, qui ubi vult spirat, non acceptator personarum, sed largitor donorum.



DE